GALLICI VERSVS

METRICA RATIO

FACVLTATI LITTERARVM IN VNIVERSITATE PARISIENSI

THESIM

PROPONEBAT

PETRVS NEBOUT

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALVMNVS

PARISIIS

APVD LECÈNE, OUDIN ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLVNY, 15

ANNO MDCCCXCVII

GALLICI VERSVS

METRICA RATIO

EX TYPIS OUDIN ET SOCIORUM, PICTAVII.

Nebout, Pierre Romain

GALLICI VERSVS

METRICA RATIO

FACVLTATI LITTERARVM IN VNIVERSITATE PARISIENSI

THESIM

PROPONEBAT

PETRVS NEBOUT

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALVMNVS

PARISIIS

APVD LECÈNE, OUDIN ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLVNY, 15

ANNO MDCCCXCVII

SVBTILISSIMO SCRIPTORI SCRIPTORVMQUE SCRVTATORI

AEMILIO FAGUET

NON MINORES QVAM GRANDE OPVS GRATIAS AGAT

TENVISSIMVM HOC EXOLETA LINGVA

SED DEVOTO EX CORDE

DEDICATVM

GALLICI VERSUS RATIO METRICA

INDEX RERUM

OPUSCULI PARS PRIMA

De rhythmo in gallicis versibus qui caesuram non ferunt.

Praefatio. IX

I. De numero et rhythmo. 1

II. In numero primam poeticae metricaeque voluptatem. 4

III. De rhythmicae voluptatis principio et fonte. 9

IV. De sensu cum versu concordante aut discordante. Quae falsae sint caesurae. 14

V. Unde venerint legitimae illae caesurae quas exigimus in non nullis versibus. 20

VI. Rhythmum non semper ex aequis constare. 24

VII. De syllabis assonantibus et consonantibus ; de earum utilitate ; cur pro assonantibus consonantes fuerint substitutae. 27

VIII. De strophis. 32

IX. Cur minus approbentur novem et undecim syllabarum versus. 45

X. In partes aequas dividere rhythmum esse probat et antiqua poesis. 46

OPUSCULI PARS SECUNDA

De illis versibus qui caesuram ferunt, praecipue de magno versu, sive alexandrino.

I. De magno versu. 49

II. Pauca de magno versu apud Graecos Latinosque, antequam de alexandrino, qui apud nos magnus est versus, disseramus. 51

III. Quantitatis sensu exoleto, versificatio primum accentus numerat deinde syllabas. 58

IV. De consonantium origine. 63

V. De accentu. Quatenus sit in Gallica lingua verborum accentus. Quid accentibus cum consonantibus et caesuris. De latina caesurae origine. 69
VI. De octo et decem syllabarum versibus. De octosyllabico versu. 75
VII. De versu duodecim syllabarum, sive alexandrino. Quae sit caesura versus, quae sint hemistichii. . . 83
VIII. De discordante cum sensu caesura. 91
IX. De accentu versus caesuram agente in numero tripartito. 97
X. De falsis quorundam opinionibus qui neglegunt hemistichium, numerique et versus historiam. 100
XI. Quid diversae versus caedendi rationes valeant significentque. 107
XII. De gallica periodo. 116
XIII. Quae fuerint alexandrini versus mutationes 120

PRAEFATIO

Quae sit *gallici* versus metrica ratio nobis in animo est, in quantum possumus, scrutari, qui sit numerus, qui rhythmus, quae sit caesura, quae fuerint numeri mutationes.

Subtilissimae quidem nobis semper visae sunt quae circa rhythmum et caesuram versantur quaestiones, propositisque adhuc rationibus aut aliquid deesse aut inesse magna vitia ; ideo acrius scrutanda versus intima structura.

Olim, Bolaeo auctore, caesura illa quae in hemistichia versum nostrum separat, exigebatur ; gallicum enim versum efficiebant duodecim syllabae, quarum extrema cum sequenti versu consonaret, in aequas duas partes caesura separatae : clara quidem simplexque ratio : nam syllaba cum sequenti versu consonans versum definiebat, pausa satis longa inter versus interiecta ; cæsura autem breviori pausa versum, salvo eius tenore, in dimidias partes dividebat ; unde mensura et numerus clare auribus perciperentur. Tunc mentio de accentibus nulla, nulla de multiplicibus caesuris, quippe cum sufficeret ad numerum haec mediana, quae exigebatur, caesura. Sonoram desiderari hanc syllabam quae versum definiret et hanc quae hemistichium, optime omnibus intellegebatur, nam pau-

sae utiles sunt ad numerandum, et, cum numeras, melius sonora seriem concludis quam muta ; in corpore autem versus mutae sonoris mixtae optime numerantur, quibus mixtis componitur rhythmus.

Nostris autem temporibus accidit ut versus alexandrinus adeo mutaretur ut iam non sufficeret quibusdam illa ratio quae dividit in hemistichia ; videbant enim versus ingenio factos nec veteribus cedentes, immo nostris auribus quasi iucundiores, eosdemque mediana caesura, sic enim putabant, expertes. Ergo valere iussa est antiqua hemistichiorum ratio, nova falso indagata est, quum antiqua tamen sufficeret, aliquantulum mutata, sicut versus ipse fuerat leviter mutatus. Crediderunt igitur omnem evanuisse caesuram accentibusque solis versum numerari ; caesurae ubivis fuerunt quia ubivis sunt accentus, id est ubi sensum finieris. Sic disseruerunt doctus vir *Becq de Fouquières* (1) multique alii, sic auctores opusculi (2) ad usum iuventutis scripti, qui iuxta classicum versum ponunt *romanticum trimetrum* vel aequaliter vel inaequaliter in tria membra divisum. Quibus auctoribus nullum discrimen inter hos accentus qui in alexandrino versu pro caesuris necessariis sunt, et illos quibus, si placet, scandis octo vel sex syllabarum versus, qui quidem vera caesura facile carent.

Fuerunt tamen auctores qui quam parum cohaereant illae doctrinae intellexerint, scilicet doctissimus vir L. Crouslé. Trimetrum enim ille videtur vocare duntaxat illum qui membris aequalibus constat ; unde conici licet alios illi auctori non placere trimetros,

(1) *Traité général de Versification française.* Paris, Charpentier, 1879.

(2) Thieulin et Le Goffic, *Traité de Versification française.*

caesuramque mediam, quamvis tenuem, trimetrum semper habere. In quam sententiam pedibus ibimus. Idem hoc excellenter instituit, quae fecundior esse auctori suo potuisset definitio veramque alexandrini rationem excutere, scilicet

« Mesurer un vers, c'est compter exactement le nombre de syllabes dont il doit être composé (1). »

Idem optime quid sit versus accentus definit cum dicit accentum in versu esse « un accent qui marque la fin de tout assemblage de mots liés par le sens (2) ». Idem curat ne confundas accentum et caesuram, dicit caesuram esse « une coupure du vers produite par l'achèvement ou la suspension du sens dans l'intérieur du vers », unde intelligas caesura gigni accentum, non caesuram accentu. Qui cum discernat *secundarias* aut *mobiles* aut *non necessarias* caesuras, optime admonet (3) has caesuras post mutam verbi extremam cadere posse. Quod attinet ad illam quae hemistichia separat, iure docet huic subici posse pausam vel tenuem, et cum mobiles accentus vel magis vel minus valere possint quam medius, medium nunquam tamen exstingui, sextamque versus syllabam semper sonoram esse. Quarum rerum apud illum auctorem ratio tantum deest. Nobis autem cum docendi essent discipuli cum multas res tum metricam, quid sint caesura et versus, cumque nequaquam concedere possemus mobiles accentus momento temporis stabili et certae caesurae fuisse substitutos, veram regulam et legem disquirere visum est. Tum nobis apparuit metricos nostros in

(1) Crouslé, *Eléments de Versification française* Belin. 1893, § 12.
(2) *Id.*, § 5.
(3) § 33.

hoc errasse quod processum versus et historiam neglexerint, quasi Hugo noster inauditos adhuc ex integro creaverit numeros. Nec vident quomodo mediana caesura primum viguerit usque ad quindecimum saeculum, deinde aliquid de sua vi amiserit, quomodo maiores sensus intermissiones admiserit versus, ita tamen ut caesura etiamtum mediana steterit, et Bolaeo quasi versus cardo apparuerit, deinde quo modo in illo trimetro qui partibus aequis constat, paene exoleverit. Quid sit discordare cum caesura sensum ignorarunt, unde rhythmi quaedam subtilitas.

Ceterum illo ipso tempore quo versus gallici quaestionem tenebris magnis metrici quidam involverunt, obscurata est et latini hexametri quaestio. Postquam enim in hoc saeculo processit philologia, docti viri ardenti saepius quam recto animo multa novaverunt. Qui primum in hexametri quaestione bonam viam iniverant, deinde se detorserunt in pravam. Penthemimerim recte quidem praecipuam dixerunt, sed hephthemimerim quoque praecipuam falso, et ad numerandum per se sufficientem, ne in veterum vestigiis insisterent qui penthemimeri iunctas hephthemimerim et trihemimerim aequiperabant. Adhoc caesuram esse quandam bucolicam contenderunt, quae nihil est nisi diaeresis, unde minus minusque appareret oculis quid esset in versu caesura.

Nos autem cum videremus Homericum hexametrum semper caesura longa aut trochaïca in hemistichia divisum, nam paucissimis et fere nullis eorum qui trihemimerim et hephthemimerim admittunt deest penthemimeris, eam rationem, quam alexandrini videbamus, esse et hexametri suspicati sumus, et caesura

utrumque in aequas partes divisum, utpote qui longiores sint quam ut numerus uno haustu auribus comprehendatur ; ceteras in latino versu caesuras esse secundarias ut in gallico ; itidem discordare sensus intermissiones cum caesuris, unde nova et implexa voluptas. Quae si vera sint, magis magisque liqueat nostra versus alexandrini ratio. Sic ad hoc adducti sumus ut eas leges, quae nostrum alexandrinum regunt, in Graecorum Latinorumque hexametro prius deprehenderemus ; sic dum nostrum inspicimus versum, probamus humanum ingenium per eadem vestigia bis incessisse, epicumque Gallorum versum ad exemplar graeci versus fuisse constitutum, nostrosque et veteres poetas easdem rhythmicas leges, sponte tamen, invenisse.

Unum tamen in labore desideravimus. Si Germanorum et Italorum et Britannorum et Russorum et aliorum lingua nobis adeo in promptu esset ut intimas rhythmi leges intellegeremus in eorum versibus, sciscitari placuisset num versus alibi exstarent nostro et graeco similes, scilicet duobus hemistichiis a principio constituti, mox discordantibus inter se caesuris et sensus intermissionibus. Quae percontatio si peritos illorum versuum sollicitabit, minus fuisse absurdum gaudebimus hoc opusculum.

GALLICI VERSUS RATIO METRICA

OPUSCULI PARS PRIMA

DE RHYTHMO IN GALLICIS VERSIBUS QUI CAESURAM NON FERUNT

I

DE NUMERO ET RHYTHMO.

Per *numerum* nihil significari unquam potuit nisi quod efficitur *numeratione*, sive versus numeres, sive in versu pedes, ἄρσεις, syllabas. Sit pro exemplo hexameter, qui quidem, cum sex pedes contineat, *numerosus* erit si hos sex pedes facile et de plano numerare mihi licuerit; *numerum* me sentire dicam, si apparuerit versum omnes suos pedes, plenumque et iustum, ut dicunt, *numerum* suum et mensuram habere. Sit versus noster quem *alexandrinum* vocamus, qui duodecim pedibus, id est syllabis, constat: numerosus erit ille mihi, si duodecim de plano pedes adesse, nullumque abesse, intellexero. Hoc tamen addendum, quod alio in loco explanabimus, non facile in longioribus versibus numerum mensuramque apparere

nec auribus comprehendi sine caesura, scilicet nisi caedatur et quasi dividatur hic numerus : hae sunt enim caesurae partes, hoc officium : separat ut colligat, seiungit versus particulas, quas melius ita comprehendere possis.

Nec alia significabant Latini per haec verba : *modus, modulus, modulatio ;* modus enim idem est ac mensura et numerus ; modulari nihil est nisi ad modum, ad modulum sive mensuram quandam conformare.

« *Cadence* » a *cadere* idem designat atque apud Latinos vocabula *percussio* et *ictus*, quae usitata prius apud musicos, ut *cadere* forsitan apud saltantes ; « *cadence* » igitur dicis de iis quae apte cadunt, si poema totum consideranti clara conclusio versum a versu discernit, si caesuris suis versus clare dividitur. Si breviores erunt versus, ut *octosyllabici* nostri, eorumque seriem, nec intimam structuram, considerabis, tum mensuram et numerum et hanc quæ *cadence* nominatur, unam rem esse dices ; nam per tria haec vocabula significas versus habere numerum suum et modum, et, mensura clare aures verberante, optime cadere.

Rhythmus, graecum vocabulum, sibi vult motum quendam aequum, ictus aequis intervallis distinctos ; nam ῥυθμίζειν significat *aequare*, *compescere*, *ad motus aequos redigere*, quasi deus tempestatem, Neptunus mare apud Vergilium, orator commotam et concitatam multitudinem, quasi pectus crebro et inaequali spiritu concussum ad aequam respirationem redeat ; syllaba enim quae hujus verbi radix fuit aquam murmurantem aut stillantem significavit. Ergo a Gallis vox *rhythmus* usurpata indicat aequam versus, ut ita dicam, respirationem, sive versum totum consideres, sive aequas

versus partes. Itaque de rhythmo vox *rime* facta est, quae significat has consonantes syllabas quae versus terminant, unde mensura melius percipiatur, sive bini versus, sive versuum series consonent.

Ceterum hoc praecipue differunt inter se *rhythmus*, *mensura* et *numerus*, quod *numerus*, sicut mensura, magis ad numerationem temporum aut syllabarum pertinet, *rhythmus* magis usurpatur cum series versuum habes vel aequorum vel inaequalium; indicabit et numerum implexum, cum discordant caesurae versus et sensus intermissiones, ut mox videbimus in metrica nostri alexandrini ratione (1).

Haec satis de verborum sensu.

(1) Est alia latior, minusque certa et pressa rhythmi definitio. Communem enim verborum usum vulgaremque sermonem si tantum curas, rhythmus non hunc modo numerum qui ex pausis caesurisque constat, sed et fluentia cum voluptate aurium verba significat sonosque tum dulces, tum claros et heroïcos, sonorumque cum depingendis reddendisque rebus congruentiam, ad haec longarum breviumque et accentuum implicationem. Qui et rhythmus est, sed et sermoni prosaeque communis, non primus ille et capitalis, carminibusque proprius et peculiaris, in quo omnis poetice residet.

II

IN NUMERO PRIMAM POETICAE METRICAEQUE VOLUPTATEM ESSE.

Primus et simplicissimus numerus est si ita sermonem in aequas partes dividis ut aliquo signo aequalitas appareat. Et quoniam in gallica poesi versamur, pro signo erunt illo, de quo loquimur, extremae versuum syllabae inter se consonantes ; ad obtinendam aequalitatem syllabae numerabuntur.

Ergo iam nunc *numerus,* — unaque rhythmus, — exstat ex aequa syllabarum numeratione. Versus syllabis consonantibus definitur. Qui sequuntur pro exemplo erunt :

Nous qui sommes,
De par Dieu,
Gentilshommes
De haut lieu,

Il faut faire
Bruit sur terre,
Et la guerre
N'est qu'un jeu.

(Hugo, ballade xii.)

Quorum nulla numerum caesura intricat. Hic rhythmus est quia ternae cadunt syllabae ; nam hoc nunc omittimus quod cum masculinis alternent femininae in consonantibus. Hoc igitur sit rhythmi simplicissimi exemplum.

Minus simplex erit si partes inter se aequales cum aliis inter se aequalibus alternabunt, hoc modo :

Oui, mon cœur et ma vie ! 6
Et je sais bien, 4
O chère inassouvie, 6
Que ce n'est rien. 4

(Banville, *Cariatides.*)

Hic autem ne cures de consonantibus, quae quidem, ut numeri, alternant ; nam illis non alternantibus, alternarent tamen numeri :

Oui, mon cœur et ma vie
Inassouvie,
O chère, et je sais bien
Que ce n'est rien.

Notabis in his alternantibus numeris iam esse strophae elementum, quanquam in gallica poesi stropha σύστημα sit saepius consonantibus constitutum. Et numeri faciunt stropham, ut apparebit.

Versus inaequales longioribus intervallis alternare possunt, ut in strophis sex versuum. Insequenti exemplo versus ponimus quales a poeta scripti sunt ; damus eosdem mutatos ut appareat numeris non consonantium συστήματι stropham constitui :

Au soleil couchant	Au soleil couchant
Toi qui vas cherchant	Toi qui vas cherchant
Fortune,	Fortune,
Prends garde de choir,	Vois, la terre est brune.
La terre le soir	Prends garde de choir
Est brune !	Le soir.
(Hugo.)	

Ceterum in his veteris poetae numeri implexi, non consonantes, strophas faciunt :

Dame, je vous remercy
Et gracy

De cuer, de corps, de pensée,
De l'envoy qui tant m'agrée
Que je dy
C'onques plus biau don ne vi.

(Bartsch, *Chrestomathie de l'ancien français*, p. 414.)

In quibus minores numeri congruunt, inter duos maiores inclusi.

Similiter multis modis numeros misceas, quorum exempla numeris tantum nec verbis repraesentare licebit :

5	5	5	5	5
4	4	5	5	4
5	4	4	5	5
4	5	5	4	4
		5	5	4
		4	5	5
			5	
			4	

et cetera ejus modi.

Notabis tamen minores numeros 4 qui congruunt non posse nimis inter se amoveri, nam eos congruere non appareret nullàque esset symmetria quia nimis e longinquo arcessita.

Alia numerorum συστήματα post aliquot aequos versus inaequalem reiciunt, saepius minorem, qui stropham concludat, nec parem sibi habeat nisi illum qui stropham concludit sequentem :

O champs pleins de silence,
Où mon heureuse enfance
Avait des jours encor
Tout filés d'or.

(Banville, *La Font-Georges*.)

Et in Hugo saepe invenias

	12		12
Sive	12	sive	12
	12		12
	8		6

sed in ejus strophis et consonantes σύστημα efficiunt.

Maximus est rhythmus quum minori versu et maiori communis ita mensura, ut minor caesam maioris partem duplicet, ut in sequenti stropha, nam maior versus constat syllabis 4+6, inter quas caesura, minor syllabis quattuor :

Gastibelza, l'homme à la carabine,
Chantait ainsi,
Quelqu'un a-t-il connu doña Sabine,
Quelqu'un d'ici ?

Minimus contra stropharum rhythmus, in hoc quem invenimus apud Hugo συστήματι, uno octo syllabarum versu septem duodecim syllabarum versibus subiecto (*Odes*, I, 5) :

Où donc ai-je régné ? demandait la jeune ombre.
Je suis un prisonnier, je ne suis point un roi.
Hier je m'endormis au fond d'une tour sombre.
Où donc ai-je régné ? Seigneur, dites-le-moi.
Hélas ! mon père est mort d'une mort bien amère ;
Ses bourreaux, ô mon Dieu, m'ont abreuvé de fiel ;
Je suis un orphelin ; je viens chercher ma mère
Qu'en mes rêves j'ai vue au ciel.

Si spectas ad consonantes, duae strophae sunt ; si ad numeros, una. Pone tales subsequi strophas, tum etiam octo syllabarum versus qui eas finiunt nimium distant ; sin, ut in multis Hugo lyricis operibus, dissimiles strophae inter se alternant, rhythmus iam fere nullus, id est nulla stropha. Nam finge te habere

paginam versuum similium, quam concludat versus minor unus, aures non intellegent, immo decipientur, nam ubi nulla iteratio, nulla aequalitas, ibi nullus rhythmus. Solae consonantes tum facient rhythmum. Attamen agnoscimus ex consuetudine versum, quum octosyllabicus duodecim syllabarum σύστημα concludit, nam scimus ex consuetudine octo syllabas versum efficere; sin aliter non rhythmum, non versum efficiant. Unde apparet apud Gallos maximam fere partem rhythmi esse in consonantibus; nam cum audimus syllabam praecedenti consonantem, de numero syllabarum minus curant aures, dummodo numeris sit ex solitis.

III

DE RHYTHMICAE VOLUPTATIS PRINCIPIO ET FONTE.

Rhythmum constare vidimus ex aequis primum intervallis. Unde autem haec quam invenimus in rhythmo voluptas, perspicere et breviter exponere tentabimus.

Ante omnium simplicissimam rhythmi formam ponamus, scilicet si quid aequis intervallis feritur; fingamusque aquae guttam ita stillare ut aequa momenta guttis cadentibus definiantur. Quod si non aequa essent momenta, nec ullam auribus aequalitatem aut symmetriam discernere posses, nihil inde nos commoveret, nihil mentem nobis impelleret; nulla inde appareret lex, nulla igitur causa, nulla voluntas quae creet aut regat. Ex aequis contra intervallis statim nescio quid suspicamur quod impellat, quod velit, quod agat; adde quod causam ignorantes miramur, aut aliquatenus noscere cupimus, aut timemus, non sine voluptate. Eadem de hoc horologiorum pondere quod aequaliter libratum it et redit; nec tamen hic loquor de iis adventiciis rebus quae mihi mentem impellere possunt, scilicet quod horae fluentis, temporis et aevi et aeternitatis hac aequali percussione admonear, quia non me fugit quos in usus horologium usurpetur, sed tantum de hac symmetria percussionis, quae symmetria mihi nescio quid indicari videtur quod vivat, haud

secus ac infantibus in hoc parvulo horologio, quod in sinu gerere solemus, auditur bestiola sese movere : quippe qui hoc humanae industriae opus ignorantes, stupent motus aequales, vitamque et palpitans corpus suspiciunt.

Quod primum fuerit hominibus rhythmi exemplar, supersedeamus quaerere. Et rhythmus est in venarum pulsu, in cordis palpitatione, unde forsitan inferas rhythmo animantium vitam significari ; falso tamen ; nam primus ille homo rudis adhuc natura et ingenio, vel hominis alterius vel animalis palpitans pectus potuit non animadvertisse ; finge animadvertisse, quid aliud visum est vivi structuram et sanguinis diffusionem ignoranti quam arcana quaedam percussio cujus causam ignoraret ut animali vivo vivum aliud animal inesse miraretur. Si verum disquirere voles, primis illis hominibus rhythmus innotescere coepit cum in percussione mentem quandam et voluntatem agnoscere sibi visi sunt ; qui antequam cordis palpitationem intellexissent, progredientis incessum, aequalem bestiae indagantis passum noverant ; itaque quovis simili sono adesse animantem indicabatur.

Hic autem oportet subtiliter discernas non eundem esse rhythmum qui vitae est, et illum qui artis. Rhythmum artis hic consideramus ; in passu aequo rhythmus est, non artis ; rhythmus autem artis imitatio vitae ; rhythmus igitur artis erit non si aequi passus discernentur, sed quum passus ipsos in series aequas divides ; veluti si passus syllabae sint aut tempora, passuum autem series sint versus ; ita in passu passus ipse imitatur : unde ars et verus rhythmus.

Primus ab origine rhythmus forsitan in saltatione fuit. In saltatione primum ars, quia incessum imitatur

cum rapiditate saltatio ut animi alacritas depingatur, deinde rhythmus quod inter passuum series pausas disposuit, ut incessus aequalitatem imitetur. In saltatione igitur quasi versus quosdam cum temporibus pedibusque invenias.

Quae saltatio voluptatem non quidem mediocrem afferebat primis illis, quos Lucretius memorat, hominibus, qui solebant

duro terram pede pellere matrem.

Nam hinc oculis incessus rapiditas et cursus repraesentabatur, quod animis alacritatem, indagationem, bellumve significaret, hinc auribus, per pausas quae series passuum separabant, evocabatur nescio quid aequaliter cadens, vel stillae aquarum, vel respirandi ratio, vel pectoris palpitatio, vel potius ut diximus nescio quid quod voluntatem quandam, quod animantis alicujus adventum denuntiaret.

Ergo, ut ars ipsa imitatio est vitae, ita rhythmus aequaliter cadentium imitatio ; rhythmus in sermone gressus, aequalis incessus imitatio ; ideo per saltationem inveniri potuit cantus aut fuit inventus, dummodo per cantum significetur rhythmus tantum, non sonorum gradus et ascensio. Antiquos enim homines tu tibi fingas in numerum saltantes, ut alternas trium passuum series describant (haud secus ac in recentiorum saltatione quae *polka* vocatur), 1, 2, 3, — 1,2,3, — 1,2,3, — finge ad hoc eosdem ad saltationis rhythmum verba accommodare, tum cantus esse inceperit, qualem in versibus invenies, simplex et antiquus cantus, rudisque modulatio.

Ergo ut breviter concludamus, *cum ars nihil sit aliud quam in vita vitae imitatio, rhythmus nihil aliud est quam*

in sermone imitatio vitae, scilicet motus, cum illa aequalitate quae ex voluntate aut ex palpitatione animantis venit.

Et hoc notandum : non unam quidem et simplicem, sed implexam multiplicemque ex rhythmo voluptatem nos percipimus, quibus longa humanitas subtiliores sensus intellectumque fecerit. Primum enim hoc notemus in humano sermone, qui in versus, aut in particulas versuum, scilicet in partes aequas distinctus fuerit (qui est rhythmus), non tam pausas ipsas placere, et mentem impellere, quam partes pausis separatas ; non tam hoc quod caedat, quam quod caedatur, in sensum cadere ; unde fit ut hae distinctae particulae, quae succedunt paribus intervallis, non tantum aliqua voluntate ordinatae, sed ipsae quasi vivae procedere videantur, militibus similes qui singulis transeant ordinibus ; unde subit imago non tantum animantis per versus quosdam, ut ita dicam, spirantis, sed viventium ipsorum versuum et spirantium, et surgentium, et procedentium. Et quum continuus sermo, vel sola sensus interpunctione distinctus, illius rhythmi expers videatur, qui est artis, quod nihil imitetur, apparet subito imitatio vitae, ubi in aequales partes facta est divisio ; tum enim vel arbores ordinatas, vel homines singulos transeuntes video. Immo versus, cum caesuris suis, cum intima sua palpitatione, bene constituto et temperato animanti similis est ; versus se movet, currit, stat, spirat, saltat.

Cum autem prope eludetur mediana caesura, quod fiet in gallico versu qui dicitur alexandrinus, ut in minus aequales scindatur particulas, nec tamen omnino evanescente mediana illa caesura, jam animans ille qui versus est, qui, ut dicimus, vivit et palpitat, eo subtilius

constructus fabricatusque videbitur, quod, ut ita dicam, ossa et nervi non iam emineant, sed carne et cute dissimulentur, quasi lignea aedificii compago ornamento vestiatur marmoris. In classicorum enim versibus qui solito more caeduntur (3 + 3) + (3 + 3) vel (2 + 2 + 2) + (3 + 3) etc., ossa et nervos vides ; in hoc romanticorum 2 + (4 + 2) + 4, tantum suspicaris.

IV

DE SENSU CUM VERSU CONCORDANTE AUT DISCORDANTE. QUÆ SINT FALSAE CAESURAE.

Hactenus versum quasi merum numerum consideravimus ; itaque de numero quae diximus graecae latinaeque poesi conveniunt, immo omnium populorum poesi : sed nobis non in proposito est de arte humana universaque disserere, quamvis gallicae metricae studentes numeri rhythmique principia merito repetamus.

Versus autem non purus numerus, sed numeratus sermo; itaque convenit studere quibus modis sermo cum numero coniungatur. Hanc iam antea citatam repetamus Hugo stropham :

Nous qui sommes,
De par Dieu,
Gentilshommes
De haut lieu,

Il faut faire
Bruit sur terre,
Et la guerre
N'est qu'un jeu !

Intra hos versus nulla sensus pausa aut intermissio ; tum frangitur, ut ita dicam, sermo, quum rhythmus frangitur : qui modus est simplicissimus, quem raro nisi in minimis versibus consequi possis. Immo si alias eiusdem poematis strophas eliges, alia res erit :

Çà! / qu'on selle,	1+2	Dame Irène	3
Ecuyer,	3	Parle ainsi :	3
Mon fidèle	3	« *Quoi! / la reine*	1+2
Destrier...	3	Triste ici ! »	3

Son Altesse 3
Dit: | Comtesse, 1+2
J'ai tristesse 3
Et souci... 3

Sus, ma bête, 1+2
De façon 3
Que je fête 3
Ce grison. 3

Moines, | vierges 2+1
Porteront 3
De grands cierges... 3

In his superioribus versibus, trium syllabarum *σύστημα* non nisi in 1 + 2 aut 2 + 1 frangi potest. Notabilior fractura in his infra citatis : saepe etiam haec quae intra versum cadit pausa, longior est quam quae inter versus :

Il fuit, | s'élance,
Puis en cadence
Sur un pied danse
Au bout d'un flot.

D'étranges syllabes
Nous viennent encor,
Ainsi, | des Arabes
Quand sonne le cor...

C'est l'essaim des Djins qui passe
Et tourbillonne en sifflant.
Les ifs, | que leur vol fracasse,
Craquent comme un pin brûlant...

Ils sont passés ! | Leur cohorte
S'envole et fuit, | et leurs pieds
Cessent de battre ma porte
De leurs coups multipliés.

Quorum versuum in his quos obliquis litteris notavimus, sensus cum versu discordat, in ceteris concordat ; cum discordat intermissio est, sive quies, sive pausa, non *caesura*, nam haec vox *caesura* aut omni sensu vacua est aut has tantum pausas designat quae nonnullis legibus adstrictae sunt, immo quae ita necessariae sunt, ut sine illis versu numerus absit.

Etenim in his brevibus, quos citavi, versibus, pausa sensus adeo non exigitur, ut rara sit : quid multa ? his sensus intermissionibus nihil cum me-

trica, nihil cum versu : caesurae sunt periodi. Nihilominus tamen versum secant maiore sensus intermissione quam quae versum ab ipso versu separat, sensumque et numerum discordare verum est.

Aliud autem hic notare debemus. Etiam si magnae sensus pausae deerunt, numerus ille abstractus subsistere per se ipsum non poterit quin aliquo modo, id est levissimis pausis, rumpatur; numerus enim quidem est, sed et verba et sermo ; itaque in quattuor etiam syllabarum versibus qui sequuntur :

Il *fuit*, s'é*lan*ce
Puis en ca*den*ce
Sur un *pied dan*se
Au bout d'un *flot*,

vox legentis, si illas syllabas excipis quae versum finiunt, consistit in hoc quidem verbo *fuit*, minusque consistit, consistit tamen, in illis *puis*, *pied*, nequaquam consistit in quarto versu. Hos versus accentus nominaveris; quos autem accentus versus non desiderat, non desiderat numerus, qui, ut diximus, in aequa syllabarum numeratione consistit ; sensus est qui nunc extremo versu consistit, accentu extremam syllabam notans, nunc intra versum, qui adventicio ita accentu donatur. Accentus extremi versus utilis est ad numerum, ut ita dicam, feriendum, indicat rhythmicam seriem finire ; cum enim aequas series velis numerare, non mirum te vocem in extrema syllaba firmare. Accentus autem illius qui intra versum cadit quis usus erit ? Si barbaram quandam poesim finges, culpandus erit, utpote qui rhythmi tenorem rumpat ; sed cum minores sint illo qui versum terminat, facile

animadverterunt accentus, variis quidem locis positos, unitatem versus optime variare: totidem syllabas numeramus, sed vario modo numeramus; ad hoc cum hae minores quasi caesurae quibusvis locis cadant, re vera nulla caesura est.

Hactenus quattuor tantum syllabarum versus usurpavimus. Hos autem modo citatos consideremus:

C'est l'es*saim* des **Djins** | qui **pas**se
Et **tour**bil*lon*ne | en **sif**flant;
Les **ifs**, | que leur *vol* **fra**casse,
Craquent | comme un *pin* **brû**lant;
Leur trou**peau** | *lourd* et **ra**pide,
Volant dans l'es*pa*ce **vi**de,
*Sem*ble un nuage li**vi**de
Qui *por*te un é**clair** au **flanc**.

Invenias in his pausas, accentus maiores crassa littera, minores obliqua notatos; in omnibus septem syllabae quas autem sic partiuntur maiores accentus aut pausae:

	5+2		(3+2)+2
	4+3		(2+2)+3
	2+5		2+(3+2)
2+5 vel	1+6	sic minores :	1+(4+2)
	3+4		3+(1+3)
	2+5		2+(3+2)
	4+3		(1+3)+3
	5+2		(2+3)+2

Constat igitur accentus et pausas quasi secundarium rhythmum ita efficere, ut rhythmus sit compositus hinc parte non variata, quae septem syllabis constat, illinc partibus variis, qui sunt versus articuli. Sed res ita sit necesse est; nihil in his accentibus et pausis

quod spectet ad metricam (1) : nam et prosa accentus habet huius generis, unde numerus et prosae, constitutis ita in sermone articulis, aut paribus aut inaequalibus, qui et rhythmum per discordantia faciunt. Si hunc versum enuntio :

C'est l'es*saim* des **Djins** qui *pas*se,

ignoranti reliquam periodum in partes septem syllabarum esse divisum, nondum versus est, sed prosa. Finge me versus superiores in prosam redigere, leviter mutatis a versibus detortam : tum etiam accentus habeo et rhythmum quendam :

« C'est l'es*saim* des **Djins** | qui *pas*se ! || Ils *tour*bi**llon**nent en **sif**flant ; || les **ifs**, | que leur vol **brise**, | **cra**quent. || Leur trou**peau**, | *lourd* et ra*pi*de, | précipitant son *vol*... »

Idem numerus, iidem secundarii accentus eaedem secundariae pausae in versu octo syllabarum :

Ils sont tout près. | Tenons fermée
Cette salle | où nous les narguons...
La poutre du *toit*, | descellée,
Ploie | ainsi qu'une *her*be mouillée,
Et la vieille *por*te rouillée
Tremble | à dé*ra*ciner ses gonds.

(1) Adde his accentibus locum saepe non certum. In hoc versu

Volant dans l'espace vide,

accentum ponas et in priore et in secunda syllaba vocabuli *volant* : in priore potius :

*Vo*lant dans l'es*pa*ce **vide**.

Et in eodem versu alios, sensu magistro, locos affectare potest maior accentus, vel

*Vo*lant dans l'espace *vi*de,

vel

Volant dans l'es*pa*ce *vi*de

sive in *volatu*, sive in *spatio inani* cogitationem auditoris insistere velis.

Post hunc adest decasyllabicus : hic autem rem novam invenimus, scilicet caesuram quae certo loco omnes versus dividit. De qua non hic disserimus.

Addamus tamen ad haec, quae antea de simplici rhythmo diximus : secundariae caesurae quae longiores essent pausae quam haec quae versum definit, nequaquam tolerabiles essent nisi ad hanc pausam quae versum definit accedat syllaba cum altera consonans ; nam versus, intus rupti, inter se ita cohaererent ut non jam versus aequales, sed inaequalia membra haberes, id est prosam, ut si dicas :

Ils sont tout près. || Tenons fermée
Cette salle || où nous les narguons !
Quel bruit dehors ! || hideuse troupe
De dragons noirs | et de vampires...

Unde apparet hos quasi versus quos quidam scribere tentaverunt, consonantibus expertes, hac una condicione quodam modo numerosos esse ut nulla sit ex interioribus pausis longior quam illa exterior quae definit versum. Quom autem in nostris versibus sint consonantes, finis versus magna pausa carere potest, qui consonanti syllaba sit auribus indicatus; oportet tamen pausam non ita tenuem esse ut consonans dissimuletur; quae si dissimulatur, nulla est.

In summa haec erit minoris apud Gallos versus, illius scilicet qui minus decem syllabis constat, definitio : redigitur sermo in series syllabarum aequas vel quadratas, ita ut aequalitas pausa vel levi et consonantibus indicetur, et in quoque versu, id est in quaque serie aequa, accentus quidam vel pausae hanc versuum aequalitatem varient.

V

UNDE VENERINT LEGITIMAE ILLAE CAESURAE QUAS EXIGIMUS IN NONNULLIS VERSIBUS.

Hactenus usque ad octo syllabas extendimus versum. De versu novem syllabarum, num esse possit, aut quidam iure talem versum creare tentarint, postea breviter. Nunc de decasyllabico. In hoc caesura exigitur. Cur non in aliis usque ad octo syllabas? Huius rei ratio simplex. Ut enim rhythmi notionem capias, oportet syllabarum numerum percipias auribus, auribus, ut ita dicam, numeres, computes; immo oportet computes sine ullo labore, dum una sono et verbis et sensibus attendis; oportet igitur breves sint illae partes quas numeras. Aures nostras usque ad octo syllabas uno tenore numerare posse, non amplius, docuit usus et experientia rerum. Nec quicquam amplius, ut apparet, consuetudine assequaris, nam non magis hodie quam undecimo saeculo versum decem syllabarum sine caesura toleraveris. Immo hoc facile credam usque ad octavam syllabam sine caesura aures veterum non numerasse nisi adiuvante usu et consuetudine, scilicet octo syllabas in duas quattuor syllabarum partes primitus divisisse. Nam in multis hymnis et popularibus carminibus, quae saeculum decimum antecesserunt, octo syllabarum versum invenias cum hac mediana caesura (1). In *Vita Leodegarii* plerumque, nam sex tantum inter centum

(1) V. du Méril, *Poésies populaires latines*, pages 188, 255.

hemistichio egent. Cum igitur in hemistichia veteres poetae versus plerumque dividerent, idem fecerunt, eodemque instinctu atque illi qui sermonem in versus, id est in aequas partes. Sic enim versus a versu assonantibus (1), hemistichium ab hemistichio accentu aut caesura discernitur; ita primario secundarius rhythmus additur. Qua in re, cum et in aliis, tum nativam et insitam Gallis indolem deprehendas, quibus omnia clarescere debent ut sentiant, ut intellegant, ut moveantur; ita rhythmum clariorem desiderant quam ceteri populi, Itali, Germani; Itali enim rhythmis vel minus indicatis habilius ingenium servavere; dum Galli decasyllabicum certo loco caedunt, Itali non certo: ubivis caesura erit.

Huc ergo inclinant nostri, partes aequas secundario rhythmo scindere. Quam inclinationem inveniemus et in magno versu, invenimus et in decasyllabico, qui ab origine usque in nostra tempora et in hemistichia fuit divisus. Non hoc tamen neglegendum quod per tot saecula post quartam: qua sola caesura usum est epicum carmen. Quaerenti autem causas hae probabiles erunt: nec affirmare nec negare ausim decasyllabicum ad latinum exemplarium fuisse formatum? Cur autem placuerit Latinis haec in partes inaequales divisio? Restat res disquirenda. Hoc autem probabile est. Primus rhythmus, ut diximus, versum in aequas partes dividere; quid est autem hoc in aequas partes dividere nisi priorem partem repetere? Itaque non mirabimur rhythmum hunc inventum quo priorem partem, id est quattuor syllabas, repetas (4 + 4), addita parte quae, ut mathematici nostri dicunt, *dividat* alias : hoc modo 4 + (4 + 2), id est (2 + 2) + (2 + 2 + 2). Nam, sive

(1) Id est assonanti, accentu et pausa.

musicam, sive verba consideres, non alia est voluptatis causa quam percipiunt aures e sex syllabis quattuor additis ; nam auribus repetita semper placent, nullusque sine repetitis rhythmus. Ergo cum nascente epico carmine rhythmo opus fuit ampliore, cum poetae versum magnae, ut ita dicam, facturae, versum magnae artis (ut Hispani dixerunt : *verso de arte mayor*) quærerent, inventus est et servatus ille decem syllabarum; cuius quidem minus subsilit rhythmus quam versuum in aequas partes divisorum ; immo longus est, significat virtutem et virilitatem, quia dictas antea quattuor syllabas repetis insistendo, duobus additis. Nec tibi mirabile sit quod idem postea gracilis, et pedester, et alis, ut ita dicam, volatuque egens visus sit, invento et jam florente alexandrino ; idemque festivus et iocularis et facetus factus est, post saeculum quintum decimum in epistola faceta plerumque usurpatus. Dummodo autem te conferas in hoc tempus cum omnis metrica latina situ et oblivionis nocte iam urgeretur, nec ulli poetis obvii rhythmi nisi breves illi et graciles sex et octo syllabarum : tum intelleges decasyllabicum statim perfectissimam rhythmi speciem apparuisse, a poetis aegre fuisse omissum, et a Ronsardio usurpatum ut epicum carmen conderet. Qui versus, ut verum dicam, vere epicum canit in veteribus, largissimi sæpe numeri :

Carles li reis, nostre emperere magnes,
Tresqu'en la mer cunquit la tere altaigne...
Guesnes chevalchet suz une olive haute...
Carles li magnes ad Espaigne guastée,
Les castels fraiz, les citez violées...
Tres vait li jurz, déclinet la vesprée...
Halt sunt li pui et li val tenebrus...

(*Texte de M. Léon Gautier.*)

Denique poetis undecimi saeculi absurdum videri potuit versum unum in duas aequas partes, id est in duos versus dividi : contra si caedis in partes non aequas, unum esse versum magis liquet (1).

Ergo, ut breviter supra dicta contraham, cum numerare, id est numerum auribus percipere nullo modo possent nisi separando, caesi fuerunt omnes versus octo syllabis maiores, potiorque prius visa est caesura decasyllabici in partes non aequas, quia decantandis heroum gestis aptior, quam quae in particulas aequas dividit.

(1) Ad hoc decasyllabicus in 5+5 caesus, sive alterum praecesserit, sive sit secutus, magis subsilit quam ut poematibus nisi brevioribus adhibeatur.

VI

RHYTHMUM NON SEMPER EX AEQUIS CONSTARE.

Hactenus nobis definitus est vere poeticus rhythmus idemque simplicissimus qui constat ex aequis (1), ut in poemate quod versibus octo syllabarum totum compositus sit.

Sed et ex non aequis constat rhythmus, is tamen non plane poeticus. Immo et in prosa rhythmus. Distinguamus igitur quis rhythmus poeticus sit, quis prosae.

Rhythmum quendam agnoscere potes in prosa cum inaequalia membra accentibus separantur, vel pausis ; immo rhythmus erit quia accentus ; rhythmus, dum accentus redeant, id est dum animadvertam te in animo habere quasdam syllabas tollere ; rhythmus, dum ferias ictus quosdam, vel non aequis intervallis, et rhythmus est quia feris.

Sed is non rhythmus est poeticus. In poetica enim rhythmus est tantum cum repetis, id est cum aequae partes scinduntur. Est etiam cum non aequas repetis partes, dum repetas, scilicet cum inter non aequas

(1) *Cic. de Oratore*, III, 48 : Numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus... Numerus autem in continuatione nullus est ; distinctio et aequalium et saepe variorum intervallorum percussio numerum conficit : quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus...

partes aequae sibi respondeant, ut 12 — 8 — 12 — 8 vel 12 — 12 — 8 — 12 — 12 — 8 ; versus hoc modo alternare possunt vel continuo, vel in strophas redacti, sive stropha ex ita alternantibus inter se numeris constet, sive et consonantibus definiatur. Sed nunc non de consonantibus agitur; stropham ergo dicimus quae constat et mixtis numeris, omissis consonantibus ; hoc modo : 12 — 6 — 12 — 4 — 12 — 6 — 12 — 4, 12 — 6 — 12 — 4 ; strophae sic rediguntur :

12	12	
6	6	etc.
12	12	
4	4	

Nullum rhythmum efficis, immo negas rhythmum si versus non aequos disponis, nisi in quodam ex contrariis composito rhythmo inter impares versus pares coniunguntur. Si tantum duo sunt versus, iidemque dispares, nullus rhythmus est, nisi prioris pausa aliqua caesi partem caesam alter repraesentet; sit pro exemplo

Gastibelza, l'homme à la carabine,
Chantait ainsi. $\frac{10}{4}$ id est $\frac{4+}{4}$:

Item si habes $\frac{12}{4}$ scilicet $\frac{6+6}{6}$, item $\frac{8}{4}$ scilicet $\frac{4+4}{4}$.

Itaque Graecos videmus, cum disparem versum alternare cum hexametro vellent, hexametrum ipsum repetisse, sub nomine pentametri, dum sextum et duodecimum tempus omittunt. Sed cum nihil invenias, praecipue in rhythmo quod longa consuetudine non toleretur, sufficit tamen ut posterior versus partem prioris repraesentet non caesam sed quae caedi possit. Nam fingas nihil duobus quibusdam versibus esse commune : partes tamen communes, numeros communes aures nostrae invenient, quae, etiam si caesurae desint,

caesuras supponunt ita ut, si 7 et 8 habeas, inveniant tamen mensuram communem, quia 8 dividitur in 4 + 4, 7, in 4 + 3, itaque si habes $\frac{8}{7}$, habes $\frac{4+4}{4+3}$ vel $\frac{4+4}{3+4}$, ita ut posterior pars secundi versus catalectica sit, vel prior.

Itaque versus dispar seriem aequorum concludere poterit: 12 — 12 — 12 — 12 — 12 — 12 — 7, quamvis 7 semel enuntiatum non sit versus, nisi per consuetudinem longam. Cum enim sciamus versus esse septem syllabarum, non miramur magnos versus minore concludi.

Ergo, quocumque modo rhythmum faciet consuetudo: sunt tamen rhythmi magis numerosi, magis poematibus apti vel lyricis vel epicis, vel tragicis, scilicet cum versus poematis dispares quidem sunt, inter se tamen pares versus sibi respondent.

Fontanius ille dum versus omnis numeri miscet in fabulis optime quidem res depingit aut colloquentes actores inducit, numeris adiuvantibus; raro tamen evolat alis sublimibus quia deest hic alatus rhythmus qui ex æquis numeris nascitur; saepius enim sermone pedestri prosaque numerosa utitur quam versibus. In ejus fabula periodo servit rhythmus, versus coartatur aut extenditur, argumento magistro, nec ideo animos tam commovet et impellit quam rhythmus aequaliter libratus, quasi alarum quae nos in supernas regiones auferant.

VII

DE SYLLABIS ASSONANTIBUS ET CONSONANTIBUS; DE EARUM UTILITATE; CUR PRO ASSONANTIBUS CONSONANTES FUERINT SUBSTITUTAE.

Harum verborum conclusionum in quas sermo est diductus, quaeque versus nominantur, aequalitatem et *συμμετρίαν* aures sunt quae iudicent. Ut autem iudicent, necesse est sint aequis intervallis cadentia vel ita dispositae clausulae, ut facile auditu distinguatur quibus terminis unusquisque versuum concludatur, ubi finiatur hic, ille incipiat. Apud Gallos sunt similiter consonantia quibus optime versus discernere et metiri possis. Scilicet in nostris carminibus binorum versuum extrema verba extremis syllabis consonant. Quae consonantia, paribus intervallis percepta, versus optime cum voluptate aurium discriminant.

Apud Latinos versus hoc discriminantur primum quod paribus intervallis redit dactylo subiectus spondeus vel trochaeus; deinde hoc (nam illa quoque terminatio convenit Graecis), quod dactylus et spondeus, ut ita dicam, puri sunt, id est omni caesura expertes, qua finis versus cum cetera pedum compagine confundi possit. Caesuram hic dicimus quom discordant pes et verbum, ita ut claudicent dactylus aut spondeus.

Ergo et similitudo syllabarum consonantium quam Galli vocant *rime*, et similitudo pedum, quibus finitur hexameter, eodem tendunt, scilicet ut versus discernatur a versu ; eadem utrique et gallico et latino clausula ; hinc quantitas, illinc sonus syllabarum similiter cadit.

Non iam hodie dubitare possumus exstitisse popularia apud Latinos carmina, quae assonantes vel consonantes syllabas continuerint. Ego potius consonantes puto, quanquam assonantium genus magis populare. Immo non negaverim has consonantes quas poetae, ut videbimus (1), non refugerunt, ad imitationem popularium fuisse usurpatas. Attamen non ex ratione consonantibus usi sunt populares illi poetae ; aliter docti fuissent, non populares. Mox autem docti christianorum poetae, hymnorum auctores, consonantes docte disposuerunt, usque in undecimum saeculum. Tunc temporis poetae nostri qui gallica lingua canere incipiunt, assonantibus magis gaudent in epicis carminibus, credo quod consonantes magis doctorum, magis scriptorum fuere, magis illorum qui opera, non ingenio, valerent, assonantes autem illorum qui Rolandi gesta, afflatu quodam instincti, canebant ex tempore. Ad hoc consonantes longioribus strophis minus conveniebant ; longiores autem strophas disponebant ex populari cantorum consuetudine ; mores et concentus organorum hoc sine dubio jusserant. Scilicet versus singuli enuntiebantur modica interiecta pausa, cantilena rudi ; inter strophas vox silebat, concentus autem continuabatur. Itaque, singulis ita dictis versibus, consonantes artis rudioris fuissent quam assonantes in longis strophis, fastidiumque maius attulissent ;

(1) Vide, in secunda hujus opusculi parte, caput IV.

assonantes igitur poematis nostri de Rolando consonantibus illis antefero quibus usus est vitae Leodegarii auctor.

Assonantia igitur antiquiori poesi sufficiunt quae versus singulos canit, ubi concordant rhythmus et sensus. Assonantibus enim subvenit interpunctio, et illa quae est in dictione, et illa quae in cantu. Sensim autem progrediendo poesis eo pervenit ut non iam versus et sensus concordarent, ideoque praetulit consonantes; quae quidem cum binae adhiberentur, ita scilicet ut bini versus consonarent, ad hoc invitabant ut et sensu religarentur hi versus bini. Quod si haec duo poemata comparaveris, invenies in vita Leodegarii versus cum sensu minus concordare quam in Rolando. Ideo quo magis discordabit versus cum sensu, quo magis sententia e rhythmi vinculis sese expediet, eo artior erit ultimarum consonatio syllabarum, et, ut dicunt, eo *ditior*. Cur autem hoc? Ne dubites, quia magis firmare rhythmum necesse est, quem ambitus secum nimis auferret ita dissimulatum. Et ultimis artius consonantibus, longiores illae strophae decem, viginti versuum, quae uno sono terminatos habent versus, exolescunt; bini versus iam nunc consonant : inde renovatur rhythmus, alternantibus sonis, inde rursus, quod semper quaeritur, in unitate, in similitudine varietas.

Temporum autem evolventes seriem videmus rhythmicam artem usque ad saeculum octavum decimum minime profecisse : concordant tum sensus et distichon; nec tam *dives* ultimarum consonatio quam est hodie. Cur autem tam *dives* facta est ὁμοφωνία apud hos poetas quos romanticos vocamus? Quia classicam illi periodum, quae duorum erat versuum, disiecerunt;

rhythmum periodus apud illos secum trahit; versus alter ita in alterum incurrit, ut finis versuum paene lateat; immo sensus cum caesura discordat mediana, qua sic deminuta minus apparet numerus, latente et hemistichio. Ob eas causas firmanda magis atque magis consonatio ultimarum.

Consonantes igitur apparet non tantum ad voluptatem inventas esse, sed prius ut rhythmum firmarent ad numerandum utiles, quae aures monuerunt finiisse rhythmicam seriem; mox ipsum tuentur rhythmum, quem attenuaret ars ipsa versificandi, dum progreditur. Ideo sensus pausam extremo versu consonantes supplent.

Tali quidem funguntur officio consonantes in versibus qui κατὰ στιχόν disponuntur. Funguntur et altero, quippe quae pausas concentus suppleverint quae finire strophas indicarent, deinde ipsas, quae ad idem tenderent, sensus pausas, vel, si vis aliter me loqui, stropha quum prius musicae esset, deinde consonantibus constituta est.

Has partes, scilicet stropham definire, iam suscipiunt assonantes in longioribus epicorum strophis: nam mutatio assonantis novam stropham indicabat. Postquam autem bini consonarunt versus, quomodo stropha definiri potuisset? Cantu, ut opinor; ideo in Leodegarii vita strophas invenias, cantu definitas, quae quidem non sunt strophae, nam nobis nulla stropha est consonantibus binis (nullam dico, si ad artem spectas, nam re ipsa multas scripserunt et cotidie scribunt poetae strophas falsas, quae sola sensus pausa definiuntur, quas libenter audimus, modo poetica illis virtus insit).

Ut autem stropha definiretur, debuerunt non dico invenire, sed in consuetudinem vertere, quod necessitas nondum imposuerat, voluptas autem praeoccupaverat, — scilicet consonantes ita miscere ut inter se occurrerent, ut alternarent hoc modo: AB AB, vel hoc: A B BA. Inde nobis lyrica institutio omnis.

Ut autem stropham constituerent, imparibus versibus quamvis binis consonantibus, uti potuissent; ita enim et distichon constitueres 12, 8, 12, 8, 12, 8, etc., vel 8, 4, 8, 4, 8, 4, etc., quae stropha brevior, et hanc quattuor versuum stropham:

8		12	
8	vel	12	etc.
8		12	
4		6	

Sed iam viderant et ex imparibus versibus et ex alternantibus consonantibus optimam stropham posse conflari.

Magna igitur apud nos vis et virtus consonantium.

VIII

DE STROPHIS.

I. — *De strophis quae numeris constituuntur.*

In his quae sequuntur paginis nos, utpote qui de stropharum elementis disseramus, non modo eas quae usurpatae fuerint indicabimus, sed etiam eas quae usurpari possint; ideo exempla si deerunt, nos cum lectoris venia creabimus.

Tria sunt strophae elementa: sensus, numerus, consonantes.

De sensu pauca dicemus; qui oportet non omnino cum ea stropha quae numeris aut consonantibus vel ambobus constituatur, discordet ; nam tum disicitur stropha, quamvis et in strophis mediocriter discordans sensus saepe exquisitum rhythmum efficiat. Attamen hoc nobis concedas pausam sensus constituendae strophae plerumque necessariam.

Hae quae sequuntur numero solo constituuntur strophae.

1° *Distichon* imparibus versibus compositum :

Enfin je vous revois, ô champs pleins de silence,
Où vécut mon heureuse enfance, etc.

(Banville, *La Font-Georges.*)

In quo versus minor maiorem praecedere poterit. Idem et omnis numeri versibus constituetur :

$$\genfrac{}{}{0pt}{}{12}{10}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{12}{8}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{12}{7}\ \text{etc.}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{10}{8}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{10}{7}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{10}{6}\ \text{etc.}$$

innumerae enim sunt rationes, quas non modo imitari, sed et tu creare possis. Non omnes tamen aeque ad rhythmum idoneae, ad voluptatem ; minus idoneae quae sequuntur :

$$\genfrac{}{}{0pt}{}{12}{10}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{12}{7}\ \genfrac{}{}{0pt}{}{12}{5}\ \text{et aliae similes,}$$

optimae sunt: 12, 8—12, 6; et rationem hujus rei facile invenias ; scilicet 12 et 10 versus sunt dissimiles natura, quorum unus caesura in pares, alter in dispares caeditur partes ; 12 et 7 nullam communem mensuram habent. Nam alexandrini, ut postea expediemus, elementa haec sunt 6, 4, 3, 2 :

6	+	6
3+3	+	3+3
2+2+2	+	2+2+2
4+2	+	4+2
2+4	+	2+4

Attamen si duodecim syllabarum versu versum quinque adicis, 5 poterit haberi pro 6 catalectico. Finge enim hos versus :

O sources du vallon, ô chanteuses fontaines,
Douces à mes peines,
O maison, ô jardin, ombrages et rochers
Si souvent cherchés,

quis non sentiet sextam quamque syllabam ab auribus cum desiderari, tum supponi. Et hic rhythmus est.

12 — 4 hoc peccat quod 4 nimis brevis :

O sources du vallon, ô chanteuses fontaines,
Douces aux peines,
O maison, ô jardin, ombrages et rochers
Souvent cherchés !...

rhythmus autem inest. Omnes autem hae strophae, exceptis $\frac{12}{6}$ $\frac{12}{8}$, singulares sunt, quasi ictu feriunt aures, quae mirantur. Contra in $\frac{12}{6}$ dicas dimidiam prioris partem repeti ; in $\frac{12}{8}$ communis mensura intellegitur. Optimi autem sunt rhythmi qui non sibi mirationem trahunt, et cum sensu conspirant.

2° Trium versuum stropha quae non consonantibus sed numeris constituatur :

8 — 8 — 4 — 8 — 8 — 4 — 8 — 8 — 4 — 8 — 8 — 4, etc.

Quam versus seriem sensus in strophas ita rediget 8 8 4 — 8 8 4 — 8 8 4, etc., vel ita 8 4 8 — 8 4 8 — 8 4 8, vel hoc tertio modo 4 8 8 — 4 8 8 — 4 8 8, etc. Consonantes binae ibunt, sin aliter et consonantes stropham cum numero formarent.

Cuius hoc erit exemplum strophae :

Bras de neige, front de rose,
Adieu, lèvre hier déclose,
Notre cher trésor,
Blanche, douce, enfant encor,
Plus légère que l'abeille,
Rieuse et vermeille.

Hanc enim stropham facit numerus, id est versiculus aliis impar stropham concludit. Binas tamen strophas vinculum quoddam tenet consonantium, nam, si ad consonantes spectas, post tertium versum desinere

non potes. Sed ut absolutas huius modi strophas haberemus, opus esset poemate quod in unum consonaret.

Eadem stropha constituetur ternis versibus inter se consonantibus :

Poète, il est fini, l'âpre temps des épreuves !
Tu dors, libre et pensif, bercé par tes grands fleuves,
Loin de nos solitudes veuves !
En Bretagne, au milieu de tes brumes d'Arvor,
Repose ! ta chanson va retentir encor
Sur la lande où sont les fleurs d'or.

scilicet A 12, A 12, A 8, B 12, B 12, B 8, etc., sed si voles habebis A 8, A 12, A 12, B 8, B 12, B 12 :

Loin de nos solitudes veuves,
Tu dors, libre et pensif, bercé par tes grands fleuves !
Poète, il est fini l'âpre temps des épreuves !
Sur la lande où sont les fleurs d'or,
En Bretagne, au milieu de tes brumes d'Arvor
Repose ! ta chanson va retentir encor.

3° Stropha quattuor versuum, consonantibus autem binis, ut numerus solus stropham constituat :

Mais, ô déesses pures,
Ornez vos chevelures
De couronnes de fleurs,
Séchez vos pleurs !

Car le divin poète,
Que votre voix regrette,
Va sortir du tombeau,
Joyeux et beau !

(BANVILLE, *Odelettes. Les Muses au tombeau.*)

quos et ita disponas :

Séchez vos pleurs !
De couronnes de fleurs
Ornez vos chevelures,
Muses, déesses pures !

Joyeux et beau,
Va sortir du tombeau
Cet immortel poète
Que votre voix regrette !

4° Strophas quinque, sex, septem, etc., versuum constituere possis eodem modo, eo tamen minus lyricas quo magis aures fallet longioris seriei finis et conclusio.

II. — *De strophis quae solis consonantibus constituantur et sensu.*

1° Distichon.

Quod rarissime absolutum invenias ita ut sensus optime binos separet versus ; sin minus non distichon erit, sed vulgaris versuum series.

Hoc erit exemplum :

Le char s'en va, conduit par quatre chevaux blancs,
Sans taches, deux de front, tous quatre ressemblants.

L'hiver a déroulé son grand tapis de neige,
Où des vierges sans bruit chemine le cortège.
(A. Lemoine, *Les Charmeuses*, *Lilia.*)

2° Trium versuum strophae inter se consonantium :

Même en deuil pour cent trahisons,
A vos soleils nous embrasons
Nos cœurs meurtris, jeunes saisons !

O premières roses trémières !
O premières amours, premières
Aurores aux riches lumières !

3° Quattuor versuum strophae sed parium, et alternis consonantibus, non binis : AB AB. Quae notiora sunt quam ut exemplis adprobem (1).

(1) Ex hac superiore stropha, alteram quinque versuum constituas, una ex syllabis consonantibus geminata : ABAAB. Haec laxior erit, stropha tamen, si ita volet sensus : ABABB, ABABA ; nam quod ad consonantes attinet, stropha post quartam concluditur.

4° Sex versuum strophae, sed parium, ita ut ne unam quidem consonantium tollere possis quin stropha claudicet : AAB CCB, vel AAB CBC.

Cuius ad exemplar et strophas septem octoque versuum formabis, quibusdam geminatis inter consonantes : AAAB CCCB.

Has strophas, quae quattuor et sex versuum sunt, absolutissimas omnium judices haud immerito quia ponderati rhythmi et simplicis.

III. — *Strophae quae iunctis et numeris et consonantibus constituuntur.*

1° Distichon. Non aliud est quam hoc quod iam posuimus.

> Enfin je vous revois, ô champs pleins de silence,
> Où vécut mon heureuse enfance !

Nam quamvis hic bini versus consonent ut in versibus *κατὰ στίχον* dispositis, dicas tamen distichon consonantibus definiri, quod consonantes cum unoquoque disticho mutantur.

2° Strophae trium versuum sed disparium et in unum consonantium : AAA, BBB, CCC.

> Même l'âme en deuil pour cent trahisons,
> A vos gais soleils nous nous embrasons,
> O jeunes saisons,

cetera ad horum exemplar ; et hunc modum poteris usurpare :

> Même l'âme en deuil pour cent trahisons,
> O jeunes saisons,
> A vos gais soleils nous nous embrasons !

Premières amours, aurores premières
Aux riches lumières,
Lilas printaniers et roses trémières !

3° Strophae quattuor versuum, quorum unus impar, alterne consonantium :

Oui, le bonheur bien vite a passé dans ma vie !
On le suit, dans ses bras on se livre au sommeil,
Puis, comme cette vierge aux champs crétois ravie,
On se voit seul à son réveil.

(HUGO, *Odes*, V, 2.)

C'est que j'ai rencontré des regards dont la flamme
Semble avec mes regards ou briller ou mourir,
Et cette âme, sœur de mon âme,
Hélas ! que j'attendais pour aimer et souffrir !

(E. DESCHAMPS.)

et strophae quattuor versuum imparium, dummodo inter se strophae sint similes vel omnes, vel binae.

4° Strophae quinque versuum superioribus similes, una ex consonantibus geminata, quarum exemplaria dare supersedeo.

5° Strophae sex versuum similes illis quas consonantes solae definiunt, ita ut impar unus sit versus, plerumque ultimus, vel duo impares, plerumque tertius et sextus ; ad hoc facile huius modi creaveris strophas, si omnes illas usurpaveris quae consonantibus formantur, addita ex ratione versuum inaequalitate.

De dégoûts en dégoûts il va traîner sa vie ;
Que lui font ces faux biens qu'un fol orgueil envie ?
Il cherche un cœur fidèle, ami de ses douleurs,
Mais en vain ; nuls secours n'aplaniront sa voie,

Nul parmi les mortels ne rira de sa joie,
Nul ne pleurera de ses pleurs...

Mes sœurs, l'onde est plus fraîche aux premiers feux du jour!
Venez, le moissonneur repose en son séjour ;
La rive est solitaire encore;
Memphis élève à peine un murmure confus ;
Et nos chastes plaisirs, sous ces bosquets touffus,
N'ont d'autre témoin que l'aurore.

Has duas stropharum species quam plurimis modis variare tentavit noster Hugo, nec erat rei pretium :

Son sort est l'abandon ; et sa voie isolée
Ressemble au noir cyprès qui croît dans la vallée ;
Loin de lui le lis vierge ouvre au jour son bouton ;
Et jamais, égayant son ombre malheureuse,
Une jeune vigne amoureuse,
A ses sombres rameaux n'enlace un vert feston...

Isolés comme lui, mais plus que lui tranquilles,
Arbres, gazons, riants asiles,
Sauvez ce malheureux du regard des humains !
Ruisseaux, livrez vos bords, ouvrez vos flots dociles
A ses pieds qu'a souillés la fange de leurs villes,
Et la poudre de leurs chemins !...

Gloire à Napoléon, gloire au maître suprême !
Dieu même a sur son front posé le diadème !
Du Nil au Borysthène il règne triomphant.
Les rois, fils de cent rois, s'inclinent quand il passe,
Et dans Rome il ne voit d'espace
Que pour le trône d'un enfant...

(*Odes.* — Passim.)

IV. — *Strophae discordantes.*

Strophae sunt ubi discordent numerus aut sensus cum consonantibus.

1° Est ut feliciter discordent pausae sensus, id est

interpunctiones, cum stropha quae consonantibus et numeris constituitur, si mediocri pausa inter duas strophas interiecta alteram alteri sic coniungas. Parce tamen hac ratione utendum ne strophae nimis disiunctae destruantur. Etiam in alexandrinis consonantibus binis, consonantes ex consulto separare poteris intermissione sensus : A, AB; BC, CD, DE, etc., qui rhythmus erit singularis, rhythmus tamen.

In sex versuum strophis abstineas sensu sic consonantes distinguere : AA, BCCB, quod ita non iam stropham unam sed distichon cui subicitur stropha quattuor.

2° Poète, il est fini l'âpre temps des épreuves.
Quitte nos solitudes veuves,
Et dors, libre et pensif, bercé par tes grands fleuves !

Au milieu des brumes d'Arvor
Repose ! Ta chanson va retentir encor
Sur la lande où sont les fleurs d'or.

Heureux qui resta pur en ces âges profanes !
Longtemps les jeunes paysannes
Répéteront tes vers de Tréguier jusqu'à Vannes !

In his strophis terni versus consonant, inaequales tamen ita ut alternent unus maior, alter minor ; quare si ad numerum spectas, distichon disticho subicitur, si ad consonantes, strophae sunt trium versuum ; alterne procedunt minor inter duos maiores, maior inter duos minores ; unde implexus et exquisitus optime aures mulcet rhythmus, sensus allicit et irretit.

V. — *Strophae per solam sensus intermissionem constitutae, repugnantibus numeris aut consonantibus ; strophae duabus strophis compositae.*

Si vis vero attendere, sensus pausa est quae maxime strophas constituat ; nam contra longam pausam nihil oblucteris, quae secum aufert omnia.

Non consonantibus constituitur rhythmus illorum quos vocamus gallice *iambos :*

O Corse à cheveux plats ! que la France était belle
Au grand soleil de Messidor !
C'était une cavale indomptable et rebelle
Sans frein d'acier ni rênes d'or !...

Si spectas ad consonantes, strophas habes quattuor versuum ; si ad numeros, duorum ; arbiter erit sensus ; itaque in huius modi iambis poetis debebit esse curae pausas quarto quoque versu vitare ; quod optime intellexerunt nostri iamborum auctores, quorum apud alterum (1) periodus quasi torrens saepissime rapitur, spiritu anhelanti, ut nulla fere sit pausa nisi secundi cuiusque, apud alterum (2) saepe sensus pausis ita caeditur in interioribus versibus ut inaequalibus membris et strophas quattuor versuum vitet et duorum :

Sauvez-moi, conservez un bras
Qui lance votre foudre, un amant qui vous venge ! ||
Mourir sans vider mon carquois ! ||
Sans percer, sans fouler, sans pétrir dans leur fange
Ces bourreaux barbouilleurs de lois,

(1) Auguste Barbier.
(2) André Chénier.

Ces vers cadavéreux de la France asservie,
Egorgée ! || O mon cher trésor,
O ma plume, fiel, bile, horreur, dieux de ma vie...
Par vous seuls je respire encor !

(A. Chénier.)

Si strophas quattuor versuum et sex uno periodo componis, habes notissimam illam, lyricamque decem versuum ABAB CCDEED. Quae duodecim versuum fit apud Hugo, triplicatis C et E. Sensus est qui unam stropham efficit, et hoc quod stropham quattuor versuum ita resumere et repetere videtur illa sex versuum, quae sequitur, stropha, ut et producat et explicet; unde rapidus et acer rhythmus.

Iunctis duabus vel aequalibus vel inaequalibus strophis diversae aliae constituuntur ; et magna illarum est varietas quae inaequalitate versuum ; laxae tamen, et nullius nervi. Quas maxime omnium *lyricas* crediderunt ob versuum inaequalitatem : sed contra constat maxime lyricos esse eos qui sint aequales. Inaequalium periodus prosae proxima ob rhythmi similitudinem. In sex versuum stropha, tertius et sextus inaequales totum strophae tenorem optime quidem dividunt; vel sextus inaequalis aptissime concludit ; sed hic et illic sparsi inaequales cursum impediunt. Nec alia de causa inter se vel similes succedere vel alternare debebunt strophae.

Inaequalibus illis rhythmis utitur Hugo noster in primo suo libro cui *Odes et Ballades* inscribitur titulus ; quibus postea tamen abstinuit. Invenias in his poematibus et stropham decem versuum inaequalium quae non inepta est ; et duas quattuor versuum strophas in unam consonantium ratione redegit ; aliam constituit octo versuum triplicatis hoc modo consonantibus :

AB AB CC B. Sed idem ad rectos simpliciores que rhythmos postea rediit.

Chenerius noster in poemate cui titulus *Jeu de Paume* praescribitur stropha quadam usus est rhythmis non certis definita quae versus undevigenti continet, inaequalibus numeris, ut lyricos Graecorum metros imitetur. Lyrici autem veterum versus, sublatis symphonia et concentu, laxi sunt, vix sunt versus, ut saepe versus in medio vocabulo finiatur. Adde quod liberiores ille metri chororum et hymnorum fuerunt, non illorum poematum quibus poeta seipsum, amores suos, iram declararet; nam his exprimendis plerumque certis quibusdam rhythmis et brevi stropha inclusis utitur, quae *sapphica, alcaïca* et diversis aliis nominibus nominatur, in quibus artior fuit συμμετρία. Iam illa quam in primis poematibus usurpavit Hugo inaequalium versuum stropha minus lyrica est, minus alis concita quam illae breviores quorum aequi sunt numeri; Chenerii autem stropha illa, quam dicimus, nullo modo lyrica, sed contra longa et iners, quam tardant nimis multi versus et nimis inaequales, et nimis implexae diversaeque consonantes : itaque, sive legas, sive audias, tales strophas non apparebit inter se esse similes : perit omnis rhythmus, perit labor. Nec te fallat, ut illos poetas nostros fefellit, veterum choros et hymnos solemnium dierum fuisse et pomparum ornamenta, gravitatemque et tarditatem affectavisse quibus decantata poesis cum chori discursibus et processu congrueret; quom *lyricum* dicis in his poematibus, *tardum* et *grave* significas ; nos autem praeferimus impetum, afflatum, furorem, rhythmi concitationem : his autem apud veteres apti erant elegus, iambus, et breves strophae, sapphica, alcaïca.

Quae cum ita sint, longiores illae strophae et nimis inaequalium versuum minus lyricis metris propiores sunt quam liberis illis numerosam prosam imitantibus, quos fabulis aptavit Fontanius, qui cum confabulari velit cum lectore, metrum lege prope solutum usurpat. Mirabiliter quidem versuum inaequalitate utitur ut res expresse depingat, ut motus animorum et sensuum metris imitetur; pictoris igitur carmen pangit, non lyrici. Quod si lyricam ita affectasset laudem, plane erravisset. Nam maximam rhythmi vim neglegit, id est discordantem cum numeris sensum, qui ad mensuram sensus versum contra cogat aut extendat, tum breviorem, tum longiorem, ita ut metrum sensus non sensum metrum informet. Quod si de priore versu non nisi paucis verbis sensus exundet, versiculum brevem addit. Unde minor rhythmus; rhythmus enim est vel aequalia ducere, vel inaequalia repetere, quod idem est; nulla autem in his, quos vocant liberos, metris repetitio. Ceterum optime Fontanius, qui lyricum opus non affectaverit: apud illum vivunt dramatis personae, colloquuntur secundum meram naturam; materiae rhythmus maxime idoneus accommodatur.

IX

CUR MINUS APPROBENTUR NOVEM ET UNDECIM SYLLABARUM VERSUS.

Octonas syllabas uno tenore, sine caesura, comprehendi auribus posse iam antea diximus. Quom caesuram dicimus, non illas significamus secundarias quae accentibus solis constant. Ceterum non affirmaverim has versus octo syllabas numerari posse quin fingamus in animo medianam caesuram ; sed brevior adhuc est versus octo syllabarum quam ut caesura, quam fingimus in animo, verba concidet, lexque metrica fiat.

Veniamus igitur ad novem syllabarum conclusionem. Qua ratione eas numerabimus novem ? Si caesuram exigemus post quartam (4 + 5), non sine taedio ibit rhythmus, quom videamus decasyllabicum ipsum ob taedium paene exolevisse. Si post quintam (5 + 4), idem taedium ; nec minus taedeat versus in tres partes caedendi (3 + 3 + 3) ; optimus caedendi modus post tertiam (3 + 6) quanquam superiori non multum dissimilis (3 + 6 = 3 + (3 + 3) ; quare multo potior visus est decasyllabicus quia pars prior quattuor syllabis composita secundaria caesura dividi posset (4 = 2 + 2) unde mollior faciliorque rhythmus.

Item inventis alexandrino et decasyllabico, non placere potuit undecim syllabarum versus, qui quocumque modo numeres, aut alexandrinus una deminutus videtur, aut decasyllabicus una numerum excedens.

X

IN PARTES AEQUAS DIVIDERE RHYTHMUM ESSE PROBAT ET ANTIQUA POESIS.

Aequalem ex antiquo rhythmum invenisse Graecos constat, scilicet hexametrum; deinde hexametrum cum pentametro aequaliter alternare fecerunt, qui sunt elegi. His rhythmis diu contenti sunt.

Hexameter hexametrum aequat non syllabarum numero sed temporibus, aequat tamen, quanquam subtilius est tempora non syllabas numerare; Graeco enim et Franco sua indoles.

In partes aequas, scilicet pedes, dividitur hexameter; pes in duas partes, quarum utraque unam longam aequat; in aequas partes ipsum versum caedi probabimus; et pentametro mediana est caesura.

Versus iambicus iambicum versum temporibus aequat. Inaequalem pedis structuram (⏑ –), mobilemque caesuram, non medianam, invenerunt qui pedestrem quodammodo versum quaererent, metrumque sermoni propius. Iambicus enim quasi prosa est illius aevi qui prosam nescit; et sermoni tragico adhibetur et satirae quae sermo est.

Lyricum autem aevum consideremus. Prioris aevi versus principio decantati sunt: Terpandrum enim constat hexametro lyricum concentum adhibuisse (1);

(1) *Histoire de la littérature grecque*, par Maurice et Alfred Croiset, Thorin, éd. T. II, p. 73.

nec non elegos et iambos lyricis modis modulaverunt. Quod autem lesbianorum lyricorum proprium est, inventi sunt metri illi quos *logaedicos* vocant, qui trochaeo dactylum consociant. Convenit autem inter omnes hoc tempore metricae rei peritos in his *logaedicis* metris dactylum trochaeumque pro aequis temporibus admitti.

Inter strophas quae maxime floruerunt, sapphica et alcaïca, non aliter quam nostrae compositae sunt. Sapphica tribus aequis versibus, aequis pedibus, et uno minore, iisdem elementis constante ; alcaïca tribus non aequis, iisdem autem elementis.

His autem te attendere praecipue velim :

1° Si ad musicam spectas, rhythmus apud lyricos aequalitas est ; versus enim aliter non aequales lyricus concentus aequat : metrici enim aequales habent duos versus quorum uni pes dimidius subtrahitur ; quibus alcaïcae strophae quattuor versus aequalibus numeris constituuntur.

2° Procedenti tempore Graeci saepius numerant syllabas ; nam si versus quidam non eodem numero syllabarum compositi pro aequis habentur, alii fere semper certo syllabarum numero constant, ut qui stropham sapphicam et alcaïcam constituunt. In ipso pentametro quid est in priori parte duos semper dactylos requirere, nisi certum syllabarum numerum desiderare, nam non nisi syllabarum numero differunt duo dactyli et duo spondei. Ad hoc syllabas numerabat, ut augurari possumus, popularis Romanorum metrica et Horatius saepe incertum syllabarum numerum certo numero mutat quum graecum metrum ad latinos usus accommodat.

OPUSCULI PARS SECUNDA

DE ILLIS VERSIBUS QUI CAESURAM FERUNT, PRAECIPUE DE MAGNO VERSU, SIVE ALEXANDRINO

I

DE MAGNO VERSU.

Iuvabit nunc alexandrinum versum inspicere, quia archetypum nostri versus est, versusque ut ita dicam ἰδέα, id est epicus versus, idemque vulgaris, quia inest illi virtus propria et singularis, et per se sufficiens numerus et modulatio. Talis erat apud Graecos Latinosque hexameter, qui vel nullo lyrae vel tibiarum adiumento per se ipsum valet, dum ceteri contra versus, qui ob eam causam lyrici dicuntur, non nisi consonantibus fidibus et tibiis vim plane poeticam habent. Qui versus, sive alexandrinus sive hexameter nominatus, omni tempore idem fere semper et sui similis et eadem exstitit structura et similibus constitit, quanquam nunc ex pedibus, nunc ex syllabis compositus, id est nunc ex pensatis, nunc ex numeratis temporibus.

Quod ad Galliam attinet, a quo tempore ars metrica vere constituta est, non sunt discernenda versuum diversa aut metrorum genera. Nec est versus alter qui

4

sola voce sit emittendus, alter cui sit adhibendus fidium aut tibiarum concentus. Sive brevis sit, sive longus, seu duodecim constet seu sex syllabis, satirae carminive sit accommodatus, suis numeris contentus per se canat, vel organorum modis consonet, versus noster semper idem est, semper eandem poeticam vim habet et virtutem. Quanquam debemus considerare gallicum versum tum demum poeticum esse quum satis multis efficiatur syllabis ; nam si brevior erit, si pauciores syllabas numerabis, minus eo numerosis et simplicioribus modis et caesura saepe nulla constabit ; nec iam versum sed quasi versus fragmenta, nec corpus sed membra habebis, quibus nec inerit modorum varietas nec modulatio flexilis quae ad grandiora opera optime se aptet ; quippe longus versus in se, ut ita dicam, cantum tenet inclusum, brevior autem modis eget succentivis.

Quam absolutum et perfectum poeticae instrumentum in magno versu nostri invenerint et excoluerint, docebimus in hac opusculi secunda parte, praecipue scrutati *Alexandrini* originem, structuram, et processus.

II

PAUCA DE MAGNO VERSU APUD GRAECOS LATINOSQUE, ANTEQUAM DE ALEXANDRINO, QUI APUD NOS MAGNUS EST VERSUS, DISSERAMUS.

Breviter probabimus Graecos, dum inveniunt hexametrum, primam alexandrini nostri imaginem invenisse. Hexameter enim longior erat quam ut numeris sine bipartitione auribus acciperetur, adeoque longus ut bipartitio fieret sine fastidio. Quem ita Graeci tractaverunt ut numerosissimum rhythmum contineret, ut solus per se vim canendi et poeticam haberet virtutem, solus quasi organum esset, solus perfectissimam haberet formam in quam, velut aes ad imaginem exprimendam ductum, infunderetur poesis.

Sunt qui putent, nec absurde, hexametrum duobus dactylicis versiculis fuisse compositum. Quo posito, scansionem in duo hemistichia magis intellegemus. Sed parum refert iunctis duabus partibus constiterit hic versus, an totus, et, ut ita dicam, armatus e capite poetarum exierit, divisusque fuerit in duas partes, numerandi causa.

Qua origine nunc omissa, fingere possumus hexametrum sex pedibus informatum, iisdem sensu disiunctis, quod erit antiquissimum rhythmi genus

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪∪ | – ∪∪ | – ∪
– – | – – | – – | – – | | – –

Antiquitus sine dubio versus singuli enuntiabantur, pausa sensus separati ; haud aliter gallici versus procedunt prius singuli, bini deinde processuri.

Primum indicabimus quid sit *pedes cum sensu discordare.*

Finge unum ex his versiculis qui bini iuncti hexametrum formare potuerunt. Qui versiculus pedibus primum disiunctis constare potuit

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪
– – | – – |

Finge autem te pedes sensus religare, sic pones :

(1) – ∪ ∪ | – / ∪ ∪ | – ∪

(2) – ∪ ∪ | – ∪ / ∪ | – ∪

(3) – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | / – ∪

Omittam tenorem (3), nam nihil aliud est, si ad rhythmum spectas, unum verbum duos pedes comprehendere quam singula verba duos pedes efficere ; restant hi tenores :

– ∪ ∪ | – / ∪ ∪ | – ∪
– ∪ ∪ | – ∪ / ∪ | – ∪
Τηλέμα | χος / δ'ἐνέ | νιπε
'Ερχομέ | νοισι / λέ | χος δε

in quibus sensum dicam cum pedibus discordare dum contra concordat in hoc :

"Ερξανθ' | ἱερὰ | καλὰ.

Quae secundariae sunt caesurae in his versiculis qui caesura non egent.

Notemus hunc rhythmum, verbum scilicet cum pede

discordare, non tantum ad numerandas arses fuisse inventum ; nam arses et per diaeresim numerantur :

—   —   — ∪∪
Armen | tarius | Afer |
2 + 1.

Inest igitur sua discordantibus voluptas. Rhythmus est pedes singulos ire, rhythmus pedes inter se implexos necti.

Redeamus autem ad hexametrum, quem primum finximus pedibus disiunctis fuisse compositum, quos separant sex diaereses :

— ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪
— — | — — | — — | — — | — — | — —

Si verum dicis, nullus hic versus. Primum igitur curandum fuit ut appareret ubi versus inciperet, ubi desineret ; quod efficere potuissent dactylus semper quintus, semper sextus spondeus ; itaque iam in Homero dactylicae conclusiones numero sunt multo plures. Sed utilius erat versum in hemistichia separari ; oportet enim ut facile numeres, et versus in aequas partes caesus simplicissimus numerandi modus est, idem ad variandum versum, dummodo utraque pars satis longa secundariis caesuris pateat, aptissimus, nam caesurae quae in partes inaequales versus dividunt, fastidium trahunt. Haec est versus caesura.

In Graecorum autem versu, si maior sensus pausa hemistichia separaret, ita non unum versum sed duos efficeret. Itaque necesse fuit poetas aliud invenire, scilicet versum ita separare ut leviter pausa cum pede discordaret, scilicet in tertio pede, ut si tempora non aequabiliter dividantur, post tertiam tamen arsim pausa cadat. Hic est simplicissimus quem inveniamus apud Homerum versus.

'Ανδρα μοι | ἔννεπε | Μοῦσα / πο | λύτροπον | ὃς μάλα | πολλὰ |
'Η μὲν ἐπ' | ἐσχάρῃ | ἧστο / σὺν | ἀμφιπό | λοισι γυ | ναιξίν
Οἵ σφεας | σινέσ | κοντο / βί | ηφι δε | φέρτεροι | ·ἦσαν.

Restat ut animadvertant poetae discordare magis pedem et sensum si una tantum syllaba secundum exsuperet pedem ; nam tum pausa in medio pede cadit :

Τῇσι δὲ | Ναυσικά | α // λευ | κώλενος | ἤρχετο | μολπῆς.
(*Odyss*. VI, 101.)

Caesurae autem secundariae et caesura versus in eodem versu saepius miscentur, unde rhythmi varietas.

Sed cum non sufficeret versum in fine una syllaba carere, id est spondeo aut trochaeo terminari ut eum terminari aures sentirent, licuit duos extremos, dactylum et spondeum caesura secundaria carere, quos ita disiectos melius aures exciperent. Ea Romanis optima iudicata est versus textura.

Ut caesura sit versus non opus est ut sensus terminetur, aut rumpatur, sed paululum adquiescere vox possit ; itaque caesura pedis, in qua vox adquiescit dum tollitur, efficit versus caesuram. Sensus enim intermissio quae caedit poeticam periodum, potest cum caesura versus non congruere ; nam triplex caesurae genus : caesura pedis sive « discordance » quae religat arses ; caesura versus ; caesura periodi. Omnes discordant caesurae : in caesura pedis pes cum verbo discordat ; in caesura versus hemistichium cum pede ; in caesura periodi sensus cum versu.

Cum sensus intermissio congruit cum trochaïca caesura vel penthemimeri, caesura versus est magna, quia et sensus intermissio et caesura versus et caesura pedis et arsis in unum coeunt ; isque numerus est qui vel rudibus auribus perspiciatur. Cum autem sensus intermissio non congruit cum caesura versus, hemistichium

caesura pedis tantum et arsi indicatur, et discordat cum sensu, quae exquisitior est voluptas et aurium subtiliorum.

Si notabilis sensus intermissio fit in caesurae vicinitate, discordat cum caesura, nec eam tollit, etsi notabilior. Illae caesurae quae trihemimeris et penthemimeris vocantur, si cum notabiliore sensus intermissione congruunt, cum caesura versus discordare dicuntur.

Fieri potest per longam consuetudinem ut caesura versus non iam iunctis arsi et caesura pedis constet, sed tantum arsi, scilicet cum abest penthemimeris et congruunt cum notabili sensus intermissione trihemimeris et penthemimeris.

Fluvio | rum / rex | Erida | nus, / com | posque per | omnes.

Tunc versus tripartitus ; qui numerus bipartito additus varietatem affert. Et gallicus versus primum bipartitus fuit et manet, sed et hoc saeculo, sublata quae separet hemistichia caesura, tripartitus factus est.

Ut nostram hexametri rationem resumamus, sequuntur Homerici versus, ubi notavimus diversas numeri moras. Simplex et recta linea | a pede separat pedem, obliqua et crassa / caesuram vel unius longae vel trochaïcam qua pes et verbum discordant ; duplex et obliqua // caesuram versus sive hemistichium, crux + intermissiones sensus.

1 Ὣς ὁ μὲν | ἔνθα / κά | θευδε // πο | λύτλας | δῖος ὀ | δυσσεύς,
2 ὕπνῳ | καὶ καμά | τῳ // ἀ | ρημένος · | + αὐτὰρ Ἀ | θήνη
3 βῆ ῥ᾽ ἐς | Φαιή | κων // ἀν | δρῶν / δῆ | μόν τε πό | λιν τε.
4 οἳ πρὶν | μέν / ποτ᾽ ἔ | ναιον // ἐν | εὐρυχό | ρῳ / Ὑπε | ρείῃ,
5 ἀγχοῦ | Κυκλώ | πων // ἀν | δρῶν / ὑπερ | ηνορε | όντων,
6 οἵ σφεας | σινέσ | κοντο, // βί | ηφι δὲ | φέρτεροι | ἦσαν. +
7 Ἔνθεν ἀ | ναστή | σας // ἄγε | Ναυσίθο | ος / θεοειδής,
8 εἷσεν | δ᾽ ἐν Σχερί | ῃ // εκὰς | ἀνδρῶν | ἀλφησ | τάων.
9 ἀμφὶ δὲ | τεῖχος / Ἔ | λασσε // πό | λει καὶ ἐ | δείματο | οἴκους,
10 καὶ νη | οὺς / ποί | ησε // θε | ῶν / καὶ ἐ | δάσσατ᾽ ἀ | ρούρας.

Sequuntur et Virgiliani, in quibus autem non trochaïcam notamus nisi quom pausam efficit, quia aliter trochaïca caesura apud Latinos minus caesura est, si hanc cum caesura unius syllabae comparamus.

11 Arma vi | rumque ca | no // Troi | ae / qui | primus ab | oris
12 Itali | am / fa | to // profu | gus / La | vinaque | venit
13 Litora; | + multum il | le et // ter / ris / iac | tatus et | alto
14 Vi supe | rum, / sae | vae // memo | rem / Iu | nonis ob | iram,
15 Multa quo | que et bel | lo // pas | sus. / dum | conderet | urbem
16 Inferr | etque de | os // Lati | o / + ; genus | unde La | tinum
17 Alba | nique pa | tres // at | que altae | moenia | Romae.
18 Musa, mi | hi / cau | sas // memo | ra /, quo | numine | laeso
19 Quidve do | lens / re | gina // de | um / tot | volvere | casus
20 Insi | gnem / pie | tate // vir | um /, tot ad | ire la | bores
21 Impule | rit / + Tantae // ne ani | mis / cae | lestibus | irae ! (1)

(1) Quorum explicabimus numerum quotiens operae pretium erit.— 1. Caesura versus congruit cum caesura trochaïca et levi sensus intermissione. — 2. Caesura versus penthemimeris discordat cum notabiliore sensus intermissione ; hic caesura versus magis accentu constat quam mora, quia congruit cum caesura unius syllabae, sine notabili sensus intermissione. — 3. Caesura versus discordat cum maiore sensus intermissione, quae congruit cum caesura hephthemimeri ; additur trochaïca in quinto. — 4. Caesura versus cum maxima sensus mora quae sit in versu congruit ; major est caesura versus quam caesurae secundi et quinti. — 5. Hemistichium congruit cum penthemimeri ; sequitur minor caesura in quarto. — 6, 7, 8. Caesura versus congruit cum trochaïca ; sequitur in versu caesura minor in quinto. — 9, 10. Caesura minor in secundo ; caesura versus, congruens cum trochaïca, discordat cum maiore sensus intermissione quae maximam versus caesuram facit hephthemimerim ; decimum autem tripartitum dicere licebit. — 11. Caesuram versus sequitur minor caesura. — 12-14. Caesura hemistichii in penthemimeri discordat cum maioribus, si ad sensum spectas, caesuris trihemimeri et hephthemimeri. — 13-15. Caesura versus minor discordat cum maiore hephthemimeri. — 17. Caesura versus cum penthemimeri et maiore sensus pausa congruit. — 18. Caesura versus in penthemimeri, discordat cum maiore sensus pausa quae est in hephthemimeri. — 19. Caesura versus in trochaïca discordat cum caesuris trihemimeri et hephthemimeri quae congruunt cum maiore sensus intermissione ; tripartitum hunc

In his qui sequuntur versibus (unum inter ducentos apud ipsum Horatium reperias), apparet caesuram versus ita excidisse ut eius vicem gerant trihemimeris et hephthemimeris :

Cum veni | a / dabis | : insue | vit / pater | optimus | hoc me
(*Sat.*, I. iv, 99.)
Nec quod a | vus / tibi | mater | nus / fuit | atque | pa | ternus
(*Sat.*, I. vi, 3.)
Virtu | tem ne / re | praesen | tet /, mo | resque Ca | tonis...

Unde apparet tantum ut variaretur poetica periodus adhibitos fuisse huius modi versus hemistichii expertes, immo per licentiam. Non vere tripartitum vocamus illum vulgarem et optimum versum in quo caesura trochaïca cum maioribus caesuris discordat : nam in illo is fons est, id principium metricae voluptatis quod caesura perstat quamvis trochaïca.

Ergo hoc liquet nobis penitus perspecto et excusso Graecorum versu :

E discordantibus principium et fons metricae voluptatis. Diaereses discordantibus alternantes optimum faciunt versum. Prius enim est et rudium hominum et simplicioris metricae pedes aut versus pausis numerare ; posterius est et subtilioris artis efficere ut discordent pausae cum pedibus aut versibus, et ita discordent ut currente tamen sensu librentur, nec omnino cadant, pedes versusque, et veluti ambitus flumine corripiantur, notabiles tamen.

Nunc videbimus non aliter se gessisse apud nos magnum versum, bipartitumque prius, deinde tripartitum ita tamen fuisse ut bipartitio maneret.

versum dicas licet.— 20. Caesura versus in trochaïca discordat cum aliis caesuris ; trihemimeris maior quam trochaïca quia unius syllabae est ; ephthemimeris, quia congruit cum maiore sensus intermissione.

III

QUANTITATIS SENSU EXOLETO, VERSIFICATIO PRIMUM ACCENTUS NUMERAT, DEINDE SYLLABAS.

Quum deperisset latina poesis, constat primum quantitatis sensum exolevisse; longarum breviumque nullo facto discrimine accentus in rhythmum vertitur (1). Immo accentus quasi longam facit syllabam; aliae syllabae breves sunt. Qui fit ut iam syllabae numerentur. Servantur pedes; saepius pedes sunt duarum syllabarum, quarum una fortis, una tenuis; insurgit pes in forti, cadit in tenui, quasi trochaeus; vel incipit in tenui, insurgit in forti, quasi iambus. Quae versificatio, *rhythmica* vulgo dicta, est et barbara et popularis. Cuius exempla in christianis hymnis invenies :

Apparébit répentína
Díes mágna Dómini,
Fúr obscúra vélut nócte
Ímprovísos óccupans.
Brévis tótus túm parébit
Prísci lúxus sáeculi;
Tótum símul cúm clarébit
Práeterísse sáeculum.

(Daniel. *Thes. hymn.* CLXI. Cf. Havet, *Métrique.*)

(1) Quidam contendunt, non absurde quidem, vulgaria et popularia antiquitus poemata exstitisse, in quibus rhythmus accentu constaret.

Aureliani imperatoris milites hos notissimos versus eiusdem rhythmi canebant (Vopiscus, *Aurelianus*, VI, 7).

Mílle Fráncos, mílle sémel
Sármatás occídimús,
Mílle, mílle, mílle, mílle,
Mílle Pérsas quáerimús.

In his versibus poeta iam syllabas numerat, non pedes; sed accentus rhythmum facit. Versibus imparibus 2, 4, 6, 8, syllabam extremam detrahit ut versus in accentu cadat; inde variatur numerus syllabarum alternans et variatur casus; casus impar femininus: *repentína*, *sémel*, par masculinus : *dômini*, *occídimus*.

Ergo paene iam gallici versus sunt

Mille Fráncos, mílle sémel, etc.

nisi quod accentus certis locis attribuitur.

Optime probat doctissimus Havet (1) saepe accentum locos non certos ferire in versu incipienti, certos autem in fine. Scilicet accentus ipse obsolescit, poeta fingit accentum in locis idoneis ita ut syllabae quas non accentus feriret in prosa, accentum accipiant huius loci quem occupant. Cum id fieri non potest, accentus loco mutatur; sufficit ut extremus versus accentus suo loco maneat. Verisimile est carmen bacchicum ab *Havet* citatum sic suppositis accentibus scandi, ut mos est popularis :

Méum ést propósitúm
In tabérna móri,
Ét vinúm appósitúm
Sítiénti óri,

(1) *Métrique*, p. 181.

Út dicánt cum vénerínt
Ángelórum chóri,
Déus sít propítiús
Isti pótatóri.

Ergo accentus ipse neglegitur, syllabae numerantur ; sufficit ut sibi constet hic numerus ; accentus aut consonantia locum extremum implent.

Quid autem de caesura ? Carmina popularia breviora sunt quam ut caesura egeant ; vulgus enim et poetae qui ad vulgus spectant plus quam octo syllabas versu religare vitant, quia ultra octo syllabas versus non tenuem et quasi nullam, sed fortem veramque caesuram poscunt ; sicut enim usus probavit, aures nostrae non amplius decem syllabas uno tenore numerare possunt. Prius autem fuit syllabas numerare et versus consonantibus distinguere quam caesura partiri ; quod doctiorum est. Invenias versus latinos quarti saeculi ubi pedes et longae brevesque observentur, vis autem caesurae non iam intellegatur ; alii caeduntur, alii non :

Martyris ecce dies | Agathae,
Virginis emicat eximiae,
Christus eam | sibi qua sociat
Et diadema duplex | decorat.
Stirpe decens | elegans specie,
Sed magis actibus atque fide
Terrea prospera nil reputans,
Jussa Dei | sibi corde ligans.
(Damasus, *Ex hymno sanctae Agathae*.)

Itaque longos versus docti invenere ; pro exemplo sumam hos duodecim syllabarum latinos, qui forte septimo saeculo compositi sunt ; in his iam caesura versum in hemistichia separat.

O Roma nobilis, | orbis et domina,
Cunctorum urbium | excellentissima,
Roseo martyrum | sanguine rubea,
Albis et virginum | liliis candida,
Salutem dicimus | tibi, per omnia
Te benedicimus, | salve, per saecula.
(Du Méril, p. 239.)

In his versibus 1° non iam accentus sufficit ad numerum; nam caeduntur medii versus; quattuor accentus singulis versibus sufficerent, si accentus fortiter aurem ferirent. 2° Accentus videtur non certos versus locos, si adhuc certos verborum, occupare : si occupat adhuc certos verborum locos ut

O Róma nóbilis, órbis et dómina,

apparet versus quasi in pedes separari, quorum quisque non certo loco accentum habet; pes quisque quarta pars versus, trium syllabarum, sicut in hoc versu :

Il était | sur son char | ses amis | affligés (1)
3 3 3 3

3° Pes sive pars trium syllabarum plerumque seiungitur a pede aliqua sensu intermissione, pes cum verbo terminatur, et concordat cum verbo. Sin minus, quasi in *excellentissima*, sufficit ut vox requiescere possit in forti syllaba, vel longa quae finit unum pedem aut incipit sequentem, sive modo gallico accentus vel longa in *len* indicet finem pedis, sive more latino syllaba longa *tiss* tempus sit forte quod pedem incipiat.

4° Unde apparet accentus iam fere nullos in rhythmo;

(1) Hic versus non Racinii, sed quilibet ; mutavi Racinii versum ne praesumeretur quaestio de caesura.

rhythmum efficere pausam vocis post verbum terminatum :

O Róma | nóbilis || órbis et | dómina
Cunctárum | úrbium || excéllen | tíssima

qui est gallicus versus.

Ille autem hemistichio contentus erit ; uterque hemistichiorum vel in duarum vel in trium syllabarum partes dividetur, quasi in dactylos aut in spondeos, per leves sensus intermissiones vel, quando opus erit, per accentus, ut brevi enucleabimus.

IV

DE CONSONANTIUM ORIGINE.

Consonantes syllabae hoc munere funguntur ut versum terminari cum voluptate aurium indicent, atque ita versum a versu distinguant. Quo munere iam apud Latinos, quanquam adventicio et supervacuo, fungitur consonans. In hac militum cantione quam citant *Weill et Benloew* (1), consonantia, ex consulto quamvis non constanter, disposita, versibus pro clausulis sunt :

Mille Francos, mille semel
Sarmatas *occidimus*,
Mille, mille, mille, mille,
Mille Persas *quaerimus*.

Constat popularia carmina consonantibus usa ; doctos autem poetas non consonantia odisse facile ostendam. In hoc enim Horatii, similitudo non syllabarum sed verborum *Io triumphe*, pro consonantibus est. Consonant primus et secundus, consonat tertius cum quarto :

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus Io triumphe,
Civitas omnis, dabiturque divis
Tura benignis.

(1) *Théorie générale de l'accentuation latine.*

Et hi consonant bini :

Si ture placaris et horna
Fruge lares avidaque porca
. . . .
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto,

quae frequentiora sunt in Horatii carminibus quam ut dici possint non ex industria cadere. Saepe stropharum duo versus oblique consonant : huius innumerabilia exempla ; haec in uno carmine :

O et praesidium et dulce decus *meum*,
Sunt quos curriculo pulverem *Olympicum*
Collegisse iuvat. . . . .

Illum si *proprio* condidit *horreo*
Quidquid de *libycis* verritur *areis*,
Gaudentem patrios findere *sarculo*...

Laudat rura sui ; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem *pati* ;
Est qui nec veteris pocula *massici*...

Stratus nunc ad *aquae* lene caput *sacrae* ;
Multos castra iuvant et lituo *tubae*
Permixtus *sonitus*, bellaque *matribus*...

In hac stropha videntur consonare terni :

Vidimus flavum Tiberim, *retortis*
Litore etrusco violenter *undis*
Ire deiectum monumenta *regis*
Templaque Vestae.

In eodem carmine (I, 2) duae strophae binos versus oblique consonantes continent :

Audiet cives acuisse ferrum
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.

...Tollat; hic magnos potius triumphos
Hic ames dici pater atque princeps ;
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar.

Ex his exemplis innumerabilibusque aliis constat poetam consonantia, ut non quaesiverit, tamen libenter invenisse. Consonantia iam rhythmo accedunt quo melius versus scandatur, meliusque finire intellegatur. Itidem quom consonant pausa et terminatio versus,

Illum si propr*io* condidit horr*eo*
Quidquid de libyc*is* verritur are*is*,

in quibus consonantibus syllabis et caesura firmatur, et versus unitas, quum consonent nomen et epithetum ; nemo non affirmabit hos versus magis strictos quam hunc :

Gaudentem patrios findere sarculo.

In hexametro quom consonant penthemimeris et extremus spondeus, in unum redigitur versus quem caesura in bina membra findebat, numeri causa ; itaque priusquam consonarent penthemimeris et finis versus, saepius epithetum penthemimerim, nomen spondeum extremum implebant ; epithetum praecedit et nuntiat nomen, unde caesura minus caedit, versusque una et caeditur et religatur.

Notemus consonantia in vitium verti si verba quae consonent non sensu coeant ; itaque hi versus qui

5

leonini dicuntur barbarorum error, nam consonantibus ita duo membra disiunguntur ut sint duo versus, potissimum in pentametris, cuius duo membra similiora.

Perpetuanda mag*is* quam peritura cup*is*...
Ut miseretur *eum* saepe precare de*um*.

Exolescente brevium et longarum discrimine consonantia crebrescunt. Primum barbarico quodam modo omnes versus uno sono cadunt, ut in hymnis quibusdam, quanquam decantatio cum organorum concentu vitium forsitan attenuabat.

Consonantia pedibus associat hymnus Agathae quarto saeculo compositus. Trimetrum dactylicum longa auctum adhibuit Damasus auctor, nulla saepe caesura ; credidit consonantia caesuram supplere ? Non supplent tamen, et nisi cantus pausa accedat, caesurae loco, non tolerarentur tales versus, peiores quam syllabae tantum cum caesura numeratae.

Martyris | ecce di | es Aga | thae
Virginis | emicat | eximi | ae
Christus e | am sibi | quae soci | at,
Et dia | dema du | plex deco | rat.

Cum hic versus caeditur trihemimeri, *decasyllabum* nostrum habes :

Christus eam | sibi quae sociat.

Quinto saeculo scripserunt octo syllabarum iambicos oblique consonantes,

A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem

Christum canamus principem
Natum Maria Virgine (1).

qui paene gallici versus sunt, quia numero syllabarum constante, per arsim et thesim modulantur. Caesurae, quas adhibuit poeta legitimas, supervacuae, quia octo syllabae per arsim et thesim modulatae, cum consonantibus clausulis, versum optime numeratum efficiunt.

Invenias et versus syllabicos quorum hemistichia consonent, non magis laudandum errorem quam in versibus metricis.

Haec satis de consonantibus in latinis.

Quod spectat ad feminina et masculina consonantia, dixerunt quidam (2) in versu latino syllabico femininam consonantem exstitisse, haud immerito quidem haec legenti :

Heri mundus exsultavit,
Et exultans celebravit
Christi natalitia,
Heri chorus angelorum
Prosecutus est caelorum
Regem cum laetitia.

Consonantes enim femininas dicere aliquis posset syllabas tenues fortibus subiectas, *ávit*, *órum ;* masculinas autem clausulas quae accentum accipiant : *tiá*. Notemus autem per longum tempus femininas consonantes in gallicis versibus vitatas : quae desunt in Eulaliae cantilena, desunt et in vita Leodegarii, quam-

(1) Sedulius, citat. E. du Méril : *Poésies populaires latines antérieures au* XIX*e siècle*.
(2) Gaston Paris, *Lettre à M. Léon Gautier*.

vis binae assonent. Apparent tantum femininae in vita sancti Alexis, cuius quini versus pariter assonant. Assonant femininae cum muta sonantem syllaba sequitur, quae muta non numerari posset, quia non sonat. Notemus iam tum nullam accentus rationem haberi ; ideo diximus *sonoram* et *mutam*.

In his omnibus consonantes indicant finire versum ; quae si abessent, nullus iam versus discerneretur, praecipue in octosyllabicis qui saepius in hemistichia caeduntur.

V.

DE ACCENTU. QUATENUS SIT IN GALLICA LINGUA VERBORUM ACCENTUS. QUID ACCENTIBUS CUM CONSONANTIBUS ET CAESURIS. DE LATINA CAESURAE ORIGINE.

Prius autem quam de caesurarum ratione, pauca nunc de latino accentu, quatenus in gallicis vocabulis persteterit; quatenus tum consonantis, tum caesurae fuerit principium; num ut apud multos auctores accentus pro caesura, caesura pro accentu dici possit.

Quamvis doctorum auctoritas verecundiam mihi faciat, ego negaverim gallica verba accentum retinuisse, et in ultima retinuisse. Constat procul dubio latini vocabuli accentum quasi cardinem gallici fuisse, syllabamque acutam in depereunte vocabulo solidam permansisse, ut in fructu putrescente nucleus, in corpore ossa; ad hoc plerumque haec paenultima aut ante paenultima, quae sonum habebat, gallici vocabuli fit ultima, cadentibus aliis aut mutescentibus. Hinc nostri statim inferre accentum non loco motum, gallici ultimam, modo non muta sit, accentum servare, quasi non alia sit lingua, non novum vocabulum. Novam autem linguam censeo hoc praecipue differre a latina illa, de qua detorta sit, quod accentibus egeat, hoc a Romanis vulgus hoc nostrum a quo lingua vulgaris informata, immo deformata sit, quod ita obtusiore sensu male judicaret illa sonorum discrimina, vocis tum intentionem

tum remissionem, subtilitatemque illam enuntiandi et varietatem eruditis auribus accommodatam, ut solos vocabulorum sonos et accentus, qui verberarent aures, retinuerit, et hodie lingua nostra accentibus, ut ita dicam, tota constet, vocabulaque quot syllabas totidem fere sonos habeant, exceptis quae E muto formentur. Quom autem syllabae omnes accentum habeant, habet nulla. Itaque mihi quidem videtur nostra lingua nullos similes latinis accentus habere, nullos satis notabiles, qui certum locum affectent, e quibus vocabula suum quasi colorem et cantum trahant.

Nulla tamen erit mora quin fatear sonos quosdam nos habere qui autem ad libitum locos mutent, prout postulet sensus et dictio. Qui accentus procul dubio non ultimam affectat, non necessario ultimam, non constanter. Quomodo enim credam dum nova informatur lingua, novumque oritur ex latino vocabulum, eodemque truncato, accentum in hoc novo vocabulo, in hac nova lingua super eandem syllabam stetisse immotum, ut collapso et iacente muro pendet saxum ruinæque operis supereminet. Ergo sola omnium accentum haberet gallica lingua non suum, sed potius accentus quoddam residuum nescio qua hereditate relictum, quod non idem valeret? non suum sibi accentum ex integro fecerit, non accommodaverit? Contra eam non crediderim adeo obtusam fuisse ut ab ultima in priores, et in vocabuli corpus non revocaret accentum, qui non minus gallicis verbis quam latinis, pronuntiandi quadam variatione, caput animamque redderet. Ex vocabulo *le*ga*lem* excidente ultima restat *loy*al, ex *fi*de*lem*, *fé*al : stabit accentus in paenultima nunc ultima? Immo revocabitur ab ultima illa quae iam nunc terminatio tantum est, in vocabuli radicem : **lo**yal, **fé**al; quanquam et in ultimis saepe manebit. Hoc credo

cum ratione, cum dignitate nostrae linguae congruere.

Te autem de hac re certiorem faciam si sententiam unam mihi, seu prosa seu versus sit, pronuntiaveris, modo cum expressione, intentione, impetu : notabis te saepius non sine vitio ultimam intendere posse.

Lorsqu'avec ses **en**fants | **vê**tus de peaux de **bê**tes,
Echevelé, **li**vide, | au milieu des tem**pê**tes,
Caïn se fut en**fui** | de devant **Jé**hovah,
Comme le soir **tom**bait, | l'homme sombre a**rri**va
Au bas d'une **mon**tagne, | en une **gran**de **plai**ne.
Sa femme **fa**tiguée, | et ses fils hors d'ha**lei**ne,
Lui dirent : « **Cou**chons-nous | sur la terre et **dor**mons! »
Caïn, ne **dor**mant pas, | **son**geait au pied des monts.

In quibus versibus ego contendere ausim melius te enuntiare **en***fants*, **vê***tus*, é**che**velé, livide, **tom**bait, ar**ri**va, **mon**tagne, **fa**tiguée, **cou**chons, **dor**mons, **dor**mant, **son**geait ; ultima si tendes, recitatio plerumque ridicula erit.

Ex his autem inferas dubium esse, quod vulgo dicunt, in versibus nostris accentus consonare. Nam quamvis accentus sit in priori syllaba *dor* vocabuli *dormons*, posterior *mons* cum *monts* consonabit : sufficit sonoram esse, non mutam.

Inferas et caesuram non necessario post accentum cadere, quae post sonoram saepius; non quod caesura ipsa plerumque quasi accentum non faciat; fiet tamen ut cum opus sit pronuntiando res depingere — ut pictura dictio — accentum in paenultima hemistichii notabiliorem ponas quam in ultima.

Tu autem dices caesurae originem inspicientibus principium fuisse atque initium syllabam illam elevatam quae accentum ferret. At nihil hoc minus manifestum si nobis haec in mentem veniunt :

1° In docta Latinorum metrica caesuras exstitisse, quibus nihil cum accentu, quae pausae sensus fuerint, quae non accentum sint secutae, quae ne ἄρσιν quidem, ut in senariis, in multis lyricis.

2° Illam caesuram quae sensus pausa est in christianorum poetarum hymnis et carminibus inveniri, nec cum accentibus confundi posse, ut accentus etiam tum duraverit :

> O **Ro**ma **no**bilis | **or**bis et **do**mina,
> Cunc**ta**rum **ur**bium | ex**cel**len**tis**sima,
> **Ro**seo **mar**tyrum | **san**guine **ru**bea (1).

Ubi autem numerantur syllabae necesse est accentus neglegatur ; sufficit pausa, sive quies, sive silentium ; sonora utilis erit, non necessaria, ad numerandum, quia muta in nostra lingua minus auditur. Pausam igitur sensus quaesiverunt illi qui magnam caesuram invenerunt ; quod si tum quoque notabiles erant accentus, quom autem alii accentus occurrerent in reliquo versu, accentus unus per se caesuram indicare non potuit. Quid, si accentus exoleverant? Ergo sonoram, ut numerarent, quartam quaesiverunt et decimam ; et quom pausa esset, mutam neglexerunt et in caesura et in fine.

Sonora, inquam, desiderabatur ; aliter tres non quattuor numeras ; quod autem diu hac caesura contenti sint :

> Les baruns mandet | pur son conseil finer

causa erit quod accentus solus consideratur ? Minime,

(1) Pone cantilenam illam :

> Unus **homo** **mille** **mille**,

cæsura in hemistichia dividi :

> Unus **homo** | **mille**, **mille**,

cæsura non erit post accentum. Nihil autem obstat quin in hemistichia dividatur.

sed quod mutae in popularibus carminibus non numerantur :

Prend sa rob' blanche et sa ceintur' dorée.

Doctius fuit, et artis subtilioris, mutam non negligere numerando nisi in pausa, quia in pausa muta evanescit.

Notemus omnem gallorum metricam rationem huc tendisse usque ad Malherbii tempora, ut caesura pausa sensus esset, ut post caesuram ne muta quidem iret. Ideo ita definiri debet caesura : pausa sonorae adiecta.

Nostris tamen temporibus, scilicet quum alexandrinus decursum suum et curriculum emensus fuerit, ad secundarium illum rhythmum qui tripartitus est, qui non sufficere poterat nisi postquam per longam medianae caesurae consuetudinem aures nostrae duodecim syllabas numerare vel sine magna caesura assueverant, caesura haec sufficiet, quae caedit sonoram a muta in versu numerata, tum enim demum alexandrino, ut cuilibet octosyllabico, sufficiunt secundariae illae caesurae quibus nihil est cum caesura mediana.

Ceterum, nisi ego fallor, versus ubi syllabas numeramus e docta Latinorum metrica ortus est per quantitatis oblitterationem, scilicet ex his lyricorum versibus qui aequo syllabarum numero constarent, caesuramque haberent :

Odi profanum / vulgus et arceo

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡
Quam cupe | rem / tamen | ante ne | cem...
(*Ex Prudentii Hymnis.*)

Nam haec versus forma :

Flete viri, / lugete proceres,
Resolutus / rex est in cineres,

quae doctam illam reddit :

Quam cuperem / tamen ante necem...

gallicum decasyllabicum dat per quantitatis oblitterationem. Caesura latina est.

VI.

DE OCTO ET DECEM SYLLABARUM VERSIBUS.

DE OCTOSYLLABICO VERSU.

In Leodegarii vita iam constitutus apparet gallicus versus ; sed octo syllabarum est et nullius caesurae. Caeditur saepius in hemistichia, sed potest caedi ubivis ; immo variis melius locis caeditur. Qui versus igitur facile definitur : *Octo quaevis syllabae cum consonantibus*. Consonantia versum hic efficiunt. Nulla enim caesura necessaria est ad numerum, id est ut octo syllabae numerentur. Hoc scilicet usus et experientia rerum docuit, nullam in octo syllabis caesuram aures nostras desiderare. Nulla enim caesura ubi quaevis caesura.

Le poète, | en des jours impies,
Vient préparer des jours meilleurs,
Il est l'homme des utopies,
Les pieds ici, | les yeux ailleurs.
C'est lui | qui sur toutes nos têtes
En tout temps, | pareil aux prophètes,
Dans sa main, | où tout peut tenir,
Doit | , qu'on l'insulte | ou qu'on le loue,
Comme une torche qu'il secoue,
Faire flamboyer l'avenir.

(HUGO, *Rayons et Ombres*, I.)

In his versibus caesuras ducimus quas calami tractu indicavimus. Quae caesurae potius sunt intermissiones sensus vel caesurae periodi quam versus. Accentus

aliquis dicat caedere versus ; hi autem accentus ubi vis sunt, et quot vis : sunt igitur et in prosa ; accentibus nullam legem imponas. Quibus positis, vox ut paulum requiescat accentu interdum utitur, cum sensus intermissio minor est quam accentus, si ad requiem vocis spectas. Inde non caesurae, sed leves vocis pausae, quae sunt quasi caesurae minores, et ad numerum non attinent, quia ad numerandum non necessariae ; numerabis enim octo syllabas 1 + 7, 2 + 6, 3 + 5, 4 + 4, 5 + 3, etc. ; ubi accentum vel pausam invenit, vox quiescit, ut in prosa. In hoc scilicet versu :

Il est l'hómme des utopies,

vox requiescit in syllaba apici supposita, quia sensus intermissio nulla post hanc vocem : l'*homme*.

Sed ut iam diximus, nullam caesuram necessariam esse demonstravit usus ; aures sese huic numero adcommodaverunt. Ceterum antiquitus caesura fuit quae verbum terminari cum hemistichio exigeret, quod de unoquoque versu dici potest, quia simplicissimus numerus et antiquissimus fuit versum in hemistichia separari. In vita Leodegarii caesura fere semper in medio :

Domine Dieu | devems loder
Et a sos sans | honor porter
En soe amor | cantoms dels sans
Qui por lui a | vrent granz aans ;
Et or est temps | et si est biens
Que nos cantoms | de saint Ledgier.
(Texte de G. Paris, *Romania*, t. Ier.)

Quaestio est tantum de quarto versu. Nulla intermissio sensus cum quarta, nec finis verbi. Utrum caesuram post *lui* an post *a* (vrent) dices ? Ego post tertiam, si

versum scriptum consideras, nec cantatum. Nam si post *a* in *avrent* caesuram posita esset, cur in decasyllabico caesura semper post verbum cum sensu intermissione? Nunquam sic numeraverunt poetae nostri. Adde decasyllabum caedi post quartum, muta non numerata :

Si ert credance | dont or n'i at nul prot.
(*Alexis*, Texte de G. Paris.)

Quod si accentum pro caesura habuisset poeta non repugnavisset caedere *credan* | *ce*, hoc modo

Si ert credan | ce dont n'i at nul prot,

cujus caesurae non unum invenimus exemplum. Quod autem non dixerit :

Si credance | fut dont n'i at nul prot,

hoc concludas tantum poetam ante caesuram syllabam sonoram, non mutam, voluisse; ni mirum, quia muta non auditur. Immo popularia carmina etiam nunc mutam non numerant:

A chaq'pomm'Babet se haussait.

Nulla alia causa fuit cur muta non numeraretur in caesura. Sed haec enucleatius de decasyllabico versu.

Cur autem nulla in octosyllabico caesura? Quod caesura tam brevium versuum in frusta nimis parva proscinderetur poema, quae non ferenda essent ob fastidium. Ideo caesura, si qua esset, varianda quam maxime; ideo nulla.

DE DECASYLLABICO VERSU.

Decasyllabicus undecimo saeculo constitutus apparet. Qui dissimillimus octosyllabici, quod caesuram

habet, et alexandrini quod caesuram habet post quartam, id est non mediam. Itaque certam illi putaverunt originem fuisse, et latinum exemplar. Quod exemplar versum sapphicum fuisse (1), aut iambicum trimetrum nemo facile credet, nec ratio est cur credat. Potior dactylicus trimetrus hypermetrus,

> Quam cuperem | tamen ante necem
> Si potis est | revocare tuam.
> (Ex Prudentio, *Hymnus Eulaliae.*)

quem imitatus est ille syllabicus :

> Flete viri, | lugete proceres,
> Resolutus | rex est in cineres (2).

Cum hi versus compositi sunt (anno MLXXXVII) decasyllabicus noster iam florebat, sed verisimile est versus latinos in eundem modum iam pridem exstitisse unde decasyllabicus noster fuerit sumptus.

Immo, vis dicam quod sentio. Has origines disquirere supervacuum. Potuerunt enim poetae sponte sua non minus decasyllabicum quam octosyllabicum invenire. Cur enim octosyllabico invento et iam per longum usum noto non subierit animos secundo hemistichio duas syllabas addere ut variaretur numerus ; potest inventor ante oculos pro exemplo habuisse non hunc aut illum, sed plures versus latinos quos caesura in partes non aequales separaret. Deinde, quom placuisset hic numerus inaequalis, decasyllabicus vulgatus est. Cur enim huiusmodi nova succedunt? Sufficit opusculum, dummodo feliciter compositum vulgo legatur reciteturque ; adde hoc metrum pedestre, citum,

(1) Hoc censet Littré.
(2) Du Méril, p. 294.

medium, numeri plerisque intellecti, quia non variatum.

Hoc etiam confirmare videtur, quasdam formas a poetis sponte creatas, quod brevi, minus tamen feliciter, decasyllabicum post sextam caedere tentarunt, nullo ex Latinis exemplo.

A cel cop perça l'ele | d'un papeillon
Que il trouva séant | lès un buisson.
(AUDIGIER, v. 41.)

Haec versus forma quae medio duodecimi saeculi apparet, non recentior altera forma esse potest, nam adhibetur in *Girart de Roussillon* (1) ; quae ceteroqui non durare posset, quia unus versus duos figurat.

A cel cop perça l'ele
D'un papeillon
Que il trouva séant
Lès un buisson.

Et decasyllabici caesura constat sensus vel levi intermissione, ita ut caesura cum sonora et verbo cadat, nec verbum caedat. Caesura igitur pausa vocis post verbum, non pausa vocis in accentu. Sin aliter per accentus numerassent, non abhorruissent poetae a verbo post quintam caedendo, hoc modo :

Droict à l'esta | ble, deux chevaux trouva,

loco hujus

Droict à l'estable, et deux chevaux trouva (2);

qui autem potius non numerant mutam, ut verbum cadat cum caesura.

(1) In saeculo XI scriptum est hoc poema.
(2) Marot.

En sun visage | sa culur ad perdue.
(*Roland*, v. 2239.)

Immo mutam numerare quartam ante caesuram non tentavissent poetae a duodecimo saeculo usque ad sextum decimum :

Et les dames | qui chastement vivront....
De veoir France | que mon cœur amer doibt.

ita ut usque ad sextum decimum saeculum caesura nunc cum verbo, nunc cum verbo et accentu caderet, post sextum decimum, cum verbo et accentu, aut, ut potissimum dicam, cum verbo et syllaba non muta.

Principio caesura cum notabili sensus intermissione vel pausa congruebat; deinde, auribus caesurae post quartam assuetis, discordare potuit sensus cum caesura; scilicet maior sensus intermissio in cetero versu esse potest quam post caesuram, hac conditione tamen ut levis pausa sit post caesuram, quae exstabit si verbum finietur cum quarta syllaba ; nam post quartam caesura est nec alibi esse potest; nec liceret, nisi caesurae quae est post quartam aures assuevissent, maiorem alibi pausam intericere ; quod et vidimus in latino hexametro : primus enim numerus caesuram observare, in caesura requiescere ; exquisitius caesuram transire, quamvis suo loco maneat, et alibi requiescere. In his versibus invenies sensus intermissionem cum caesura discordantem.

(Et toutefois si vous faites cela)
Pour obéir | au Seigneur || me voilà...
Fut-il jamais | pitié ? || ah ! ah ! je meurs...
(TH. DE BÈZE, *Abraham sacrifiant.*)

Primus versus caeditur (4 + 3) + 3,
secundus (4 + 2) + 4,
uterque 4 + 6.
Hic aliter

Leur gaîne, || c'est | ma gencive et ma bouche.
(MAROT, *Epître au roi*. .)

Qui paene vitiosus, nam sensu caeditur 3 + 1 + 6, quae partes male numerantur, nam iis non communis mensura. Sed licet ut aures nostras huic numero accommodemus hoc modo : vox nititur in sonora *gaî*, ita ut paulum requiescat ; requiescet et in sonora : *c'est;* unde attenuatur pausa post *gaîne;* luctantibus accentibus cum pausis, scanditur paene (2 + 2) + 6. Vitiosior esset hic detortus ab illo :

Leur fourreau || c'est | ma gencive et ma bouche,

nam per accentum non licebit scandere nisi (3 + 1) + 6, quae scansio mediocris. Verum est tamen accentum non magis ferire secundam quam primam in *fourreau* ; nam falsum est accentum, si quis est in gallico sermone, ferire semper extremam, nisi muta sit ; sunt enim quasi mutae quae accentum recusent reportentque in paenultimam.

Ergo sensus intermissio discordans cum caesura, vitanda erit post tertiam vel post quintam ; potior post secundam (2 + 2 + 6), post sextam : 4 + (2 + 4), post septimam : 4 + (3 + 3), post octavam : 4 + (4 + 2) ; cum etiam intermissio sensus post septimam maior quam post quartam, caesura tamen numerum facit, non intermissio sensus, quae, quanquam discordans, caesura secundaria est, quod ad numerum spectat;

itaque 4 + (3 + 3) legitur (4 + 3) + 3, sed scanditur 4 + (3 + 3) id est 4 + 6.

Haec satis de decasyllabico. Alter est decasyllabicus, longe dissimilis, qui caeditur in hemistichia 5 + 5. Quae scansio primum magis rationalis videtur. Sic caesus est hexameter; sic alexandrinus; primus enim numerus est scandere in aequas partes. Sed difficile in hoc versu discordantia admitterentur, nisi quae partes sociarent dissimiles 3 + 4 + 3; unde scansio non satis varia. Restant vitiosae scansiones quae caedunt proximam caesurae,

4 + 6 vel 6 + 4
(4 + 1) + 5 vel 5 + (1 + 4)

Sed hae scansiones alterum decasyllabicum repraesentant.

VII.

DE VERSU DUODECIM SYLLABARUM, SIVE « ALEXANDRINO ». QUAE SIT CAESURA VERSUS, QUAE SINT HEMISTICHII.

Versus decasyllabicus in hemistichia caesus « alexandrinum » forsitan peperit, adiecta una hinc et illinc ; vel alteri decasyllabico, post sextam vel post quartam caeso, duas syllabas addiderunt priori vel secundae parti.

Potuit tamen gallicus Alexandrinus a latino duodecim syllabarum versu transcribi,

O Roma nobilis | orbis et domina,
Cunctarum urbium | excellentissima,

quem optime mea quidem sententia, ex Horatii asclepiadeo oriundum dixerunt :

Maecenas atavis edite regibus,

nam utrique numerus similis, si tantum ad numerum syllabarum et caesuram spectas (1).

Primum igitur alexandrinus versus duodecim syllabis constat, quae caeduntur in hemistichia : 6 + 6. Qui primus numerus est versus longioris quam ut uno tenore numerus ab auribus accipiatur ; immo antiquitus, ut vidimus, octosyllabicus ipse versus in hemistichia potissimum caesus est. Ad hoc poetae sexti decimi saeculi cum partem sensus in sequentem versum

(1) Léon Gautier, *Epopées françaises*. Hunc Horatianum numerum usurparunt poetae christiani, vel quinto saeculo ; deinde corruperunt, neglecta quantitate. Vide *Du Méril*, p. 239 et seq.

reiciebant, hanc partem sex syllabarum plerumque fecerunt, ne caesurae nocerent. Adeo versus non nisi caesus auribus suum numerum implere intellegitur.

Ut videmus in hexametro, secundariae caesurae, si non omnino requiruntur ab auribus, nam utrumque hemistichium utcumque caedi potest, at saltem gratae sunt, quae utrumque hemistichium quasi versiculum dividant, versumque numerosiorem, id est facilius numerandum, faciant. Hae caesurae aequaliter caedunt :

6	+	6
3 + 3	+	3 + 3
2 + 2 + 2	+	2 + 2 + 2

Hae in partes quibus mensura communis :

6	+	6
2 + 4	+	2 + 4
2 + 4	+	4 + 2
4 + 2	+	2 + 4
4 + 2	+	4 + 2

Possunt misceri, dummodo hemistichia non rumpantur :

6	+	6	
3 + 3	+	2 + 4	
4 + 2	+	3 + 3	etc.

Quae autem est caesura ? Locus in quo vox stat ut aures numerent. Sed vox requiescit et in accentibus et in sonoris et in sensus vel verborum intermissionibus.

Utrum congruet cum accentu an cum sensus aut verbi intermissione caesura ? Saepe nulla difficultas ; congruit enim accentus cum verbi fine, ut vulgo opinantur. Quaestio est quom accentus paenultimam

ferit : tum caesura cum ultima muta an cum paenultima congruet ? Quod breviter enucleabimus.

Primum, quod ad versus caesuram spectat, ab origine usque ad hanc aetatem caesura sensus intermissio, vel longa vel brevis, cum accentu, si tibi placet (1). Cur cum accentu? Quia si sensus intermissio post mutam cadit, hemistichium non sex sed quinque syllabarum videtur. Sonora sit igitur sexta necesse est. Mutam dehinc aut non numerare aut tollere oportuit. Utrum fiat non ad numerum interest. Primum non numerarunt, deinde suppresserunt ; haud aliter Romani brevem trochaïcae syllabam, ut solidior pressiorque versus esset, non ut numerosior, omiserunt.

Ergo caesura primum sensus intermissio est post sonoram. Cur non accentu solo constat ? Quia sunt et in versu alii accentus ; quomodo enim distinguetur caesura hemistichii si tantum accentus est. Oportet addatur intermissio sensus.

Consideremus nunc caesuras hemistichii, sive secundarias.

Notemus primum de his quaestionem nullam fuisse apud maiores nostros, qui nihil nisi caesuram versus noverant, de sola versus caesura regulam imposuerant.

> Que toujours dans vos vers le sens, coupant les mots,
> Suspende l'hémistiche, en marque le repos.

Ceterum fatemur inutilem esse poetis metricam, qui faciant pulchros ex ingenio versus ; ignoravit enim Racinius hemistichii caesuras et accentus ; ideo divinus poeta fuit ; quae callere potuisset nec Pradonem superare.

(1) Supra, in capite v partis II, aliam opinionem nos habere diximus.

Sed quoniam nos de metrica disserimus, cui operae et pretium est, quia non nulla est in rebus perspiciendis voluptas, caesuras secundarias considerabimus et hoc ponemus : caesurae secundariae sunt et sensus leves intermissiones, sunt et accentus. Cum enim aures quaerunt has pausas ut hemistichium sicut versiculum caedant et numerent, sectantur hanc caesuram quam inveniunt, sive pausam, sive accentum: si pausa notabilior, pausa eligetur, si pausa nulla vel minus notabilis, accentus eligetur ad numerandum ; fingo notabilem pausam post tertiam, hemistichium caedetur in 3 + 3 : si pausa tenuissima erit, et secunda accentum notabilem accipiet, et clare sonabit, hemistichium caedetur in 2 + 4.

Quod evidens fiet si considerabis hos versus :

I. A pei | ne nous sortions || des por | tes de Trézène ;
II. Il était | sur son char ; || ses gar | des affligés
III. Imitaient | son silence || autour de lui | rangés

. . . .

IV. La femme | fatiguée || et ses fils | hors d'haleine
V. Lui dirent | : Couchons-nous || sur la terre | et dormons.

. . . .

VI. Et se remit à fuir || sinistre | dans l'espace !...

Videbis enim aliud esse caesuras, aliud accentus.

Si ad primum versum attendo, quattuor accentus habet :

A *pei*ne nous sor*tions* des *por*tes de Tré*zè*ne,

in secunda, sexta, octava, duodecima : cum non sint in utroque hemistichio notabiles sensus intermissiones, licebit tam per accentus numerare quam per pausas, quanquam barbarum per accentus solos numerare, quia pedes omnes erunt masculini. Nam si scando

A peine | nous sortions || des portes | de Trézène,

varios quattuor habeo pedes, unum masculinum : *nous sortions*, tres femininos. Et in hexametro sunt caesurae femininae sive trochaïcae ; et masculinae, quae unius longae sunt. Nihilominus tamen licitum per accentus scandere, 2+4+2+4, quia sonorae praesunt, pausis non notabilibus. Fingo autem hunc versum ita scriptum :

A peine nous sortions | des portes. Sur son char...

secundum hemistichium sensu intermissione rumpetur, quae notabilior est accentu ad numerandum :

A peine nous sortions | des portes. | Sur son char ..

Immo maxima caesura erit post *des portes*. Non possumus intellegere cur sic caedas :

A peine nous sortions || des por | tes. Sur son char...

feminina enim *tes*, quae est verbi *portes*, non possit numerando cum *sur* religari, nam intercidit notabilis pausa temporis.

Item si consideras hunc versum :

Les femmes | sous l'église | à pas lents | disparues...

accentus in secunda male numerat, quia sensus post tertiam cadit ; nec differt ab hoc, quod spectat ad numerum :

Les soldats | sous le porche à pas lents disparus.

Rhythmus autem differt quia *les femmes* pes femininus est, cum accentu in paenultima ; *les soldats*, pes masculinus, cum accentu in ultima.

Secundus versus sic caeditur (3 + 3) + (2 + 4)

Il était | sur son char || ses gar | des affligés

Hic enim non abhorreo secundum hemistichium post secundam caedere ; nam tertia pronuntiando religatur sequenti verbo, *ses gardezaffligés ;* igitur pausa intercidente licebit dicere : *ses gar / dezaffligés ;* quare maior pausa in accentu, in accentu vox magis quiescit, scando igitur : *ses gar / des affligés*.

Versum quartum sic caedam (3 + 3) + (3 + 3).

Sa femme | fatiguée | et ses fils | hors d'haleine

quia post tertiam hemistichii primi, notabilior sensus intermissio quam accentus ad numerandum ; in quo versu quattuor accentus esse dixeris, quorum tres tantum utiles ad numerandum.

Idem quintum versum scandam (3 + (3 + 3) + 3).

Lui dirent : || **Cou**chons **nous** | sur la **ter**re || et **dor**-
[mons.

Hic esse dixeris accentus quinque. (Nota syllabam *cou* accentum ferre si mihi libuerit quamvis dicant accentum affectare ultimam, et dor*mons* magis accentum, si recte versum pronuntias, in priori ferre quam in secunda.) (1) Quorum accentus tertius et quartus utiles ad scandendum; accentus in di*rent* non utilis.

(1) Ne autem dicas **dor***mons* accentum ferre in paenultima quod sensum terminet ; nam et in paenultima feret medio in sensu ; unde haud absurde, quod affirmamus, inferas consonare non tam accentus quam sonoras.

Versus sextus ita scandetur : 6 + (3 + 3). Quattuor esse dixeris accentus, quorum primus tenuis :

Et se re**mit** à **fuir** | si**nis**tre | dans l'es**pace** (1).

Nihil autem nos cogit accentu secundo uti ut scandamus, cum hemistichium in duas partes notabili sensus pausa rationaliter sit divisum. Immo sistere vox debebit post *sinistre*, sicut supra post *lui dirent*, ut pausa fiat quae est in sensu. Nam ut scripsit subtilissimus et in perspicienda metrica auctor (2), *les E muets sont les plus fortes césures du vers français* (3). Et citat hos versus :

Fondez, neiges, | venez dessus mon cœur descendre !

S'envole, | de ce monstre horrible délivrée.

in quibus tempus mutae silentii tempori additur, quae scilicet maxima est caesura. Adeo verum est quod diximus : accentus secundarias caesuras efficiunt, sensus pausae cum accentu, maiores caesuras ; addamus sensus pausas cum muta accentui subiecta, maximas esse si non caesuras at saltem pausas.

Versus quos melius per accentus numeres illi sunt qui non in hemistichia sed in tres partes dividuntur; qualis ille :

Epaphro**dite** | avait un **hom** | me pour **ho**chet.
(Hugo. *Au Lion d'Androclès.*)

Sec de hoc versus genere infra dicemus.

(1) Praetulerim **re***mit* quod utique *re***mit** aequiperat; utrumvis eliges, sive iterationem fugae, sive fugam ipsam expressius significare voles.

(2) Emile Faguet, *Le Dix-neuvième siècle,* Lecène et Oudin, 9e édition, p. 245.

(3) Has tamen notaverim caesuras non tam versus esse quam periodi.

Diu hemistichii caesura versus *alexandrinus* fuit contentus, simplice scilicet numero; quod si legem duram non temperavissent poetae, rudior mansisset versus, et fastidiosa periodus, quamvis variati in hemistichiis accentus versum varient. Attamen versus ita caesus poeticae voluptatis non est expers nec varietatis, sive gravi hemistichii caesura in partes distinctissimas dividatur, sive tenui caesura manet, ut ita dicam, plenis ripis; sive et hemistichia integra fluant, sive in minutos articulos abeant. Hanc periodum pro exemplo temere in Hugo electam videbis satis variatam, quamvis classicis versibus et in hemistichia semper caesis;

À l'obscure mansarde || il semble que l'œil voie
Aboutir doucement || tout un monde de joie.
La place, | les passants, || les enfants, | leurs ébats,
Les femmes | sous l'église | à pas lents | disparues,
Les fronts épanouis par la chanson des rues, |
Mille rayons d'en haut, || mille reflets d'en bas.

quae prima versus forma. Sed nihil est quod non vicissim immutetur. Attamen illa quae in aequas partes versum dividit caesura, rhythmi numerique fons manebit et ratio; nam difficile duodecim syllabas numeres nisi partes in aequales distinctas.

VIII.

DE DISCORDANTE CUM SENSU CAESURA.

Secunda numeri incipit apparere forma cum aures nostrae, data per longam consuetudinem de pausa hemistichii securitate, admittunt sensus intermissiones caesurae pausa notabiliores, quae adventiciae caesurae fiunt, non eae tamen quae ad numerum sed ad rhythmum pertineant, nec hemistichium omnino aboleant caesuramque priorem tollant, sine qua numerus est nullus. Tum dicimus sensus pausas cum caesura discordare.

Eadem iam in hexametro sumus experti; nam numerus per aetates perpetuatur, nec alius est apud alios populos. In hexametro primus rhythmus cum sensu pedes concordare, secundus discordare; primus numerus versus caesuram cum pede concordare, secundus discordare; primus caesuram versus cum sensus caesura concordare, secundus discordare. Parte alia, primus periodi numerus versus terminationem cum sensus terminatione concordare, secundus discordare, quae cum maxime periodus est.

Nec aliter in gallico versu primus numerus cum sensus pausa caesuram congruere, secundus discordare. Addamus tamen vel antiquitus (1) non viginti versus esse factos in hemistichia caesos (ita enim putabant),

(1) Post saeculum xv dico, nam in veterum epicorum carminibus fere non ullum reperias versum in quo non concordent sensus et caesura.

quin hemistichium et sensus discordarent ; nec aliter versus non fastidiosi fuissent.

Sit pro exemplo hic versus supra citatus :

Les femmes sous l'église à pas lents disparues,

quem quasi in hemistichia caesum consideravimus. Re vera autem post tertiam syllabam habet maiorem sensus pausam quam post hemistichium. Ideo ex enuntiandi duplice modo duplex voluptatis genus. Scandenti (3 + 3) + (3 + 3) ex aequis intervallis voluptas. Secundum scandenti 3 + (3 + 3 + 3) :

Les femmes ||| sous l'église || à pents lents | disparues...

tum voluptas ex hoc quod aures priori caesurae assuetae, quae dividit in hemistichia, hanc caesuram etiam tum percipiunt quom post tertiam maior pausa est ; unde percipiuntur pariter numerus prior et simplex, numerus alter et cum priore discordans ; unde numerus duplex.

Sequuntur versus ubi magis cum caesura discordant sensus pausae. Notabimus tantum magnos versus articulos ; qui semper et ipsi adventiciis caesuris dividi possunt ; quattuor enim syllabae tenui caesura in 2 + 2 dividi semper possunt.

I. Hemistichii caesura medium versus articulum in aequas partes dividit.

I. 3 + (3 + 3) + 3
II. 4 + (2 + 2) + 4
III. 2 + (4 + 4) + 2

I. Fais-toi belle, || un seigneur | va venir, || il est bon.
V. H.

Immobile, || ouvrant l'œil | à moitié || sous ses voiles.
V. H.

II. Le Carcova || remplit | le fond || de l'horizon. V. H.

III. La mort || ferme les yeux | du vieux soldat. || Silence! *(1)

II. Caesura hemistichii medium versus articulum in partes non aequas caedit.

I.	4 + (2 + 1) + 5
II.	5 + (1 + 2) + 4
III.	4 + (2 + 3) + 3
IV.	3 + (3 + 2) + 4
V.	2 + (4 + 2) + 4
VI.	4 + (2 + 4) + 2
VII.	2 + (4 + 3) + 3
VIII.	3 + (3 + 4) + 2

I. Prends le rayon, saisis l'aube, usurpe le feu. (V. H.)
II. Usurpe le feu, prends l'aube, prends le rayon *.
III. Et l'on voyait sa face effroyable apparaître. (V. H.)
IV. Sigismond, sous ce corps qui plane, ivre d'horreur (V.H.)
V. Et que, rictus ouvert au vent, tête éblouie... (V. H.)
VI. La mélodie encor quelques instants se traîne. (V. H.)
VII. Alors, dans le silence effroyable, une voix... *
VIII. Un homme, dans cette ombre épouvantable, habite. * (2)

Nec sunt alia versus exemplaria, quam illa; e quibus vides utriusque hemistichii membra aut aequa esse aut communem mensuram habere. Forsan tu finges :

1 + (5 + 4) + 2
2 + (4 + 5) + 1

quae modulationes novem syllabas sine forti caesura numerant, id est plures quam ut numerare aures nostrae possint (3) ; itaque vel caesuram hemistichii nota-

(1) Stellula* indicat versus exempli causa creatos nec ab opere noto mutuatos ; cogimur huius modi versus interdum invenire, ut nunc per caesuras non per accentus scandamus. Qui versus non refert unde veniant, dummodo versus sint.

(2) Nota hos versus, si nullam medianae caesurae rationem habeas, non iam pingere rhythmo quae pingenda sunt.

(3) Adde unam separari incipienti aut extremo versu rhythmi duri et peculiaris.

mus in his versibus, vel supponimus secundarias caesuras. Ideo

$$
\begin{array}{ll}
 & 1 + (5 + 4) + 2 \\
\text{fiet} & (1 + 5) + (4 + 2) \\
\text{vel} & 1 + ((2 + 3) + 4) + 2 \\
\text{vel} & 1 + ((3 + 2) + 4) + 2 \\
\text{item} & 2 + (4 + 5) + 1 \\
\text{fiet} & (2 + 4) + (5 + 1) \\
\text{vel} & 2 + (4 + (2 + 3)) + 1 \\
\text{vel} & 2 + (4 + (3 + 2)) + 1
\end{array}
$$

Sed inter has variationes immotum erit hoc principium : quocumque modo versus caedatur, perstat caesura hemistichii, si numerus classicus est, notabilis, si discordans, latens ; perstat tamen. Non enim unus et sibi *symmetrus* servatur versus, immo non versus est, nisi centrum quoddam et umbilicum habeat servetque ; nisi circa hoc centrum ita compositus sit ut centrum lateat aliquando, nunquam tollatur. Versus (1) non numerus syllabarum ad libitum caesus : melius est eum vel nullis consonantibus per se stare unum solidumque.

Sic caesura hemistichiorum, quae, immutabilis, fastidium adhibuisset, perfectissima omnium fit, ut cum aliis pausis discordare potest ; caesura enim hemistichii modeste se abdit ut omnem caesurarum varietatem admittat, servata versus unitate.

Omnes caedendi rationes quae non supponunt hemistichii caesuram, ne falsae sint et arbitrariae caveas ; vitam quippe versus neglegunt ; auferunt illi innatos articulos, naturales iuncturas rumpunt, et intimum spiritum. Si habes $3 + 5 + 4$, non versus est nisi aures et mens intellegere possint $3 + (3 + 2) + 4$ (2).

(1) Maiorem dico versum qui syllabas plures quam octo contineat.

(2) Versus erit fortasse, adiuvante olim consuetudine, sed ita ut aliis melioris rhythmi versibus fulciatur.

Ruth songeait || et Booz | dormait; || l'herbe était noire.
Et Robert, || avoué | d'Arras, || sieur de Béthune.

Haec sit prosa numerosa, nisi hemistichii caesuram sentiamus.

Unus tamen est numerus (4 + 4 + 4) qui paene hemistichii caesura non egeat, quia ut caesura hemistichii, caeditur versus in aequas partes. Notemus tamen tres aequas partes vix versum facere ; versus ita caesus non unus est, nec centrum habet nec, ut ita dicam, cardinem, nisi in media parte supponamus caesurae memoriam, 4 + (2 + 2) + 4. Sed nihil est quod longo usu et consuetudine aures non tolerent ; itaque hic numerus 4 + 4 + 4 singularem habet voluptatem aliis numeris mixtus ; nam tum optime scimus ubi versus incipiat, ubi terminetur, auresque ita non dubitant, versuque tripartito gaudent. Item hexametrum vidimus tripartitum fuisse postquam longa consuetudo numerum versus ita auribus infuderat ut non iam necesse esset in duas partes caedere; quanquam plerumque cum trihemimeri et ephthemimeri, quae tripartitum faciunt versum, perstat trochaïca.

In his versibus caesuram hemistichii exoletam dicere potes :

Tantôt des bois, | tantôt des mers, | tantôt des nues.
Vivre casqué, | suer l'été, | geler l'hiver.
Dans le serpent, | dans l'aigle altier, | dans la panthère.

Huius autem modi versus ne binos scribas, nisi extemplo velis habere non duo versus, sed sex. Oportet praecedant alii communis numeri et rhythmi qui legitimam mensuram dent, quibuscum tripartitus versus conferri possit. Ergo optimo iure dicam hunc

tripartitum non per se, sed per alios versus, numerari, nec esse versum ullum quin metiatur, si non sua hemistichii caesura, at saltem caesura aliorum.

Non alio modo in periodis classicus versus, id est vere bipartitus, cum notabili caesura hemistichii, legitimi numeri dat exemplar ad quod alii referantur. Ut enim longa bipartitorum series fastidium affert, ita versu bipartito interdum adhibito, magis solidi fiunt alii.

Quae omnia sagaciter, quanquam transeundo, subodoravit optimus auctor *Emile Faguet* (1) qui de Hugo poeta disserens haec scribit :

« ... Il se garde bien d'écarter et de délaisser la coupe traditionnelle, de manière à la faire oublier. Précisément il ne faut pas qu'on l'oublie... le vers irrégulier n'éveille l'attention que si la règle est suivie d'ordinaire avant et après lui... il faut que le vers à coupe libre soit rare et que sa raison d'être apparaisse toujours. »

Idem eodem loco versum tripartitum ait vix esse « un mètre irrégulier », quibus verbis quod asseruimus confirmat scilicet unum esse, versum tripartitum, in quo caesura mediana omnino sit abolita. Cuius scriptoris auctoritas non mediocri nobis fulcimento in hac opusculi parte fuerit.

(1) Emile Faguet, *Le Dix-neuvième siècle* (Lecène et Oudin).

IX.

DE ACCENTU VERSUS CAESURAM AGENTE IN NUMERO TRIPARTITO.

Cum de versu in hemistichia caeso ageretur, supra disseruimus de accentu hemistichii caesuram agente. Nunc considerabimus quando caesuram versus agat accentus, aliis caesuris cum hemistichio discordantibus.

Ut pausae, quae mutam sequitur, praeferatur accentus, necesse est caesura quam per accentum obtinueris aut meliorem numerum aut solum legitimum numerum faciat, et caesura post mutam nos minus, utpote quae versum in partes minus *symmetras* divisura, sollicitet.

Sit hoc exemplum :

Battent de l'aile au souffle horrible des bourrasques. V. H.

cujus numeri rationem optimam invenimus : caesuram hemistichii, quacum discordent maiores sensus intermissiones.

$4 + (2 + 3) + 3$
Battent de l'aile || au souffle | horrible || des bourrasques.

Sed fingo hanc caesuram non placere ; qui non caeditur in duas aequas partes versus, caeditur in tres : non alius est numerus. Ergo caedemus $4 + 4 + 4$.

Ceterum vidimus 4 + 4 + 4 nihil aliud esse quam 4 + (2 + 2) + 4. Ut caedamus 4 + 4 + 4 necesse est octavae syllabae accentum usurpemus :

Battent de l'aile || au souffle horri || ble des bourrasques.

Nam si caesura hemistichii evanescit in versu tripartito, habemus, quod ad sensus pausas attinet : 4 + 5 + 3.

Battent de l'aile || au souffle horrible || des bourrasques,

qui non est numerus. Ideo ut numerum habeamus accentus praefertur haud absurde.

In hoc versu servatur accentus in hemistichio, nam notabis vocem *souffle* non minus accentum recipere quam vocem *horrible*, nisi quod vocem *horrible* sequitur maior pausa (1). In talibus versibus poetae nostri saeculi sonoram in sexta servaverunt, verbumque cum hemistichio terminatum. Sed iam aliquot annos, nonnulli poetae ita tripartito versu usi sunt ut accentu pro caesura freti iam tenuissimam hemistichii caesuram reicerent ; sexta verbum caedit, vel muta est, ut in quibusdam veteribus poetis. Hic enim versus :

Et tout à coup l'ombre || des feuilles remuées,

condemnatus est olim ut mali numeri ; nam exigebant sonoram sextam ; nunc autem a recentioribus est usurpatus, sic caesus :

Et tout à **coup** | l'ombre des **feuil** | les remuées,

(1) Ita hunc versum :

Vous me manquez, je suis absente de moi-même,

scandes optime 4+(2+3)+3, quanquam et 4+4+4, quia haec verba : *absente de moi-même*, nulla sensus intermissione separantur ; quare caedere libet : absén | te de moi-même.

quem utcumque ferimus, quia assuevimus versu tripartito cum tenuissima hemistichii caesura, quam caesuram, etiam si abesset, suppleremus memoria prioris; itaque in hoc versu, iam septem saecula admoniti, caesuram tamen aliquam post vocem *ombre* auribus subsentimus, ut quindecimo saeculo sentiebant quanquam in muta:

De veoir France | que mon cœur amer doibt.

Ceterum tanta circa hemistichium licentia usurpari non potest nisi sic caedas 4 + 4 + 4. Finge enim numerum paulo dissimilem cum simili hemistichio:

Et tout à coup | l'ombre des bouleaux | remués,

hic versus audientem confundit si hemistichium omnino negligis; nullus enim numerus in 4 + 5 + 3, nam, ut ait Cicero (1), « numerosum est id quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus aequis intervallis. » Ideo 4 + 5 + 3 tres partes inaequales sine ullo vinculo repraesentant tibi; numerus tantum esset si tales versus bini procederent, quia tunc aequa intervalla metiri possemus, tunc, bis repetito versu, impressio fieret in aures, numerusque esset in duobus versibus unus, si non in versu. Ergo haec quam citamus verborum conclusio non versus quandam similitudinem reddit nisi, cum numerum tripartitum adhibere nequeas, hemistichium quoddam restituas et caesuram, quamvis post mutam:

Et tout à coup || l'ombre | des bouleaux remués.

(1) *De Oratore*, III, 48.

X.

DE FALSIS QUORUNDAM OPINIONIBUS, QUI NEGLEGUNT HEMISTICHIUM, NUMERIQUE ET VERSUS HISTORIAM.

Errant igitur qui versus historiam neglegunt, et vim necessitatemque hemistichii, et numerum negant qui non nisi ex partibus aequis constet, dum per accentus numerant, quos ubicumque agnoscunt ; quibus si credis, versus est, quocumque modo syllabas duodecim caedas. Quam opinionem impugnabo, quamvis docti hominis (1) quem hic adversarium, capiam.

Contendit enim hanc esse caedendi rationem 5 + 4 + 3 in his versibus :

Le flot qui murmure, | est-ce une voix | qui résonne ?
Il est grand et blond, | l'autre est petit, | pâle et brun.
Ladislas furtif | prend un couteau | sous la nappe.
Les dieux, les fléaux, | ceux d'à présent, | ceux d'ensuite.

quom contra in hemistichia caedi debeant, ideo mediocres quod sensus in paenultima hemistichii suspenditur ; qui nec admittantur quasi versus auribus, nisi in *est-ce*, in *l'autre*, in *prend*, in *ceux* ita insistat vox ut vel minime hemistichium caedatur. Quam versus faciendi neglegentiam indulsit sibi poeta, ut depingendis rebus congruentius caederet.

(1) Becq de Fouquières, quem secutus est Ch. Renouvier in libro *Victor Hugo, le poète*. Paris, Colin.

Item has caedendi falsas rationes omnino damnabimus: 5 + 3 + 4, 4 + 5 + 3 :

Il vit l'infini, | porche horrible | et reculant...
On entendait | aller et venir | dans l'enfer.

qui non iam versus sunt, ita caesi. Quorum primus caedendus est :

Il vit l'infini, || porche | horrible, || et reculant...

In quo nimis discordarent sensus pausae cum hemistichio nisi in hoc verbo *porche* vox optime insistat, quia pingit nescio quas tenebras in quarum limine consistimus. Et scandes :

On entendait | aller | et venir | dans l'enfer...

Nec magis admittas has scansiones 2 + 5 + 5, 5 + 5 + 2 quae versus articulos rumpunt ; sic enim duae syllabae separantur a decem reliquis quae *decasyllabum* faciunt :

Semblait | le bâillement noir | de l'éternité.

Contra ea in illo quoque versus caesura post sextam, eadem minor quam sensus pausa quae post septimam cadit, unde culpandus esset poeta quod hemistichium claudicet, nisi quod contra laudandus est quod hoc verbo *noir* produxerit hemistichium, unde tenebras longe lateque patentes quasi oculis adspicis.

Ceterum metricam romanticorum rationem non admodum intellexit ille de quo diximus. Nam quom solos accentus pro caesuris habeat, contendit timidos fuisse romanticos poetas qui sextam sonoram et verbi extremam servaverint. Cui si credis, huic versu :

La tempête est la sœur fauve de la bataille, (V. Hugo.)

hic substitui possit :

La tempête | est une **sœur** | des fauves **bataill**es |
3 + 4 + 5.

qui nequaquam versus erit. Errat in hoc doctus vir quem dico, quod scandit versum 3 + 4 + 5

La tem**pê**te | est la sœur **fau** | ve de la ba**taill**e,

cum contra sit ita scandendus :

La tempête est la sœur | fauve || de la bataille,
3 + (3 + 2) + 4

in quo cum caesura hemistichii, quae perstat, discordant maiores sensus caesurae. Inde etiam praeclara versus forma et vis, quod hemistichium quasi extenditur usque ad octavam. Si voles tamen scandes cum accentu, dummodo hemistichium serves :

La tempête || est la sœur | **fau** || ve de la bataille,

si accentum **fau** notabiliorem habes quam pausam quae est post verbum *fauve*. Peius quidem ; nam mediocris numerus caesura post septimam aut quintam.

In versibus qui duas sensus intermissiones habent post quartam et post octavam (4 + 4 + 4), forsitan futurum est ut poetae verbum una cum hemistichio non terminent, nam hi quattuor syllabarum pédes in pedes duarum facile solvuntur, et accentus facile in sexta supponitur : ceterum sufficiunt ad numerum tres aequae partes ; itaque his versibus probabilem esse numerum agnosco quos B. de Fouquières detorsit a melioribus :

Du haut des tours || ces assiégés || riraient de vous (1).
Les dieux voyaient || l'être effrayant || venir vers eux (2).

Sed non poterunt scribere

Les Ara | bes firent la nuit | sur la patrie
3 + 5 + 4

quia hic nec scandi potest cum hemistichio, nec 4 + 4 + 4 ; quanquam credit Becq de Fouquières illius versus eandem scandendi rationem atque huius :

Les Arabes faisaient la nuit sur la patrie,

quem scandit 3 + 5 + 4, hoc modo:

Les Ara | bes faisaient la nuit | sur la patrie.

quae si fieri possint versum tu hunc dicas:

Les Ara | bes y menaient paî | tre leurs troupeaux,

qui priorem imitatur numero et positione accentuum. Nihil igitur distabit a prosa versus?

Per accentus numerari versum dicunt. Quid autem est numerare in versu nisi numeres aequas partes aut communem mensuram habentes. Aliter enim non numeras: habes syllabas 3 + 5 + 4 : quomodo summam duodecim syllabarum esse invenies? oportet computes.

Et hi qui sequuntur versus nihil nisi prosa sunt:

Il est grand et blond, et l'autre est court, pâle et brun.
Avec un bruit d'ailes, vague et farouche, il passe.
Tu n'es qu'une folle, ô coupe, étant toujours ivre.

(1) Ces assiégés riraient de vous du haut des tours.
V. H.

(2) Les dieux dressés voyaient grandir l'être effrayant.
V. H.

quos scilicet creat Becq de Fouquières et scandit 5 + 4 + 3, 5 + 5 + 2, 5 + 2 + 5, his exemplis fretus quos scandit sine ullo numeri respectu :

Il est grand et blond, | l'autre est petit, | pâle et brun...
Son rêve, | avec un bruit d'ai | les, vague et farouche...
La coupe, | étant toujours ivre, | est à peu près folle...

qui contra sic scandendi sunt :

Son rêve, avec un bruit | d'ailes, || vague et farouche...
Il est grand et blond, || l'autre | est petit, pâle et brun...
La coupe, étant toujours | ivre, || est à peu près folle...

Graviter igitur errant qui de re metrica disserunt neglecto rerum processu, et continuis mutationibus. Quibus si studebis, apparebit hemistichia exegisse poetas saeculi septemdecimi ; medianamque caesuram desideratam fuisse ut aures de numero non sollicitarentur. Apparebit et poetas ea caesura quae in tres aequas partes versum dividit primum quasi per licentiam usos, deinde, nostris scilicet temporibus, ex proposito, ut numerus variaretur ; medianam caesuram ab origine sensus pausam fuisse, immo maximam, quae versum secaret, sensus pausam ; deinde quamvis aliae sensus intermissiones discordarent, medianam, etsi latebat, auribusque tantum, ut ita dicam, transeundo indicabatur, nunquam exolevisse nec prius perituram quam ipsum versum ; usque ad hoc tempus hos solos fuisse intellectos versus qui medianam servarent aut in tres partes dividerentur. Nulla enim potest esse coniunctio huic versu in hemistichia caeso cum illis qui caederentur 5 + 5 + 2 vel 4 + 3 + 5 ; utrique in eadem periodo una exstare nequaquam possunt. Finge versus ubivis caesos, ut quidam me-

trici praecipiunt, et in periodum redactos, finge pro exemplo hos gallici poetae versus ita disiectos :

Quand essayant | de comprendre et juger, | j'ouvris |
Les yeux sur la natu | re, sur l'art, | l'idiome
Etait peuple et noble, | ainsi qu'était | le royaume.
La poésie ? | une monarchie: | oui, tel mot
Etait duc et pair | , tel autre | était un grimaud.
Et les sylla | bes, pas plus que Paris | et Londre
Ne mêlaient leurs rangs : | ainsi vont | sans se confondre
Piétons, | cavaliers | traversant tous | le Pont-Neuf.
La lan | gue, c'était la France | en quatre-vingt-neuf.

4 + 6 + 2
6 + 3 + 3
5 + 4 + 3
4 + 5 + 3
5 + 2 + 5
4 + 6 + 2
5 + 3 + 4
2 + 3 + 4 + 3
2 + 5 + 5

cui persuasum feceris hos versus esse non prosam syllabis consonantibus ornatam. Attamen, si metricis nostris credas, non his meliora ipse Hugo cecinit. Ceterum nihil aliud contendunt Becq de Fouquières et illi qui trimetrum partibus inaequalibus factum admittunt, quam versum prosam esse in articulos duodecim syllabarum divisam. Nam quod attinet ad accentus, facilius erit in syllabis XII tres accentus invenire; immo difficile est syllabas XII scribere nisi occurrant tres accentus, quae media et communis proportio est.

Forsan dies veniet ubi longa consuetudine aures nostrae duodecim syllabas sine caesuris numerare assueverint, id est cum quibusvis caesuris. Quae dies si ventura est, gallicus versus, ut servet aliquem rhythmum, vim suam et numerum perdiderit, posterisque

inter classicum versum et illum, qui futurus est, numeri expertem, placebit ante omnia quasi perfectissimus et absolutissimus huius saeculi versus, in quo mediana caesura cum sensu tum discordat, tum concordat, quod exquisitum numeri genus est, et mixtum et optime temperatum.

XI.

QUID DIVERSAE VERSUS CAEDENDI RATIONES VALEANT SIGNIFICENTQUE.

Facile probabimus sine mediana caesura non modo numerum esse nullum, sed etiam nullum rhythmum, nullam in rhythmo picturam.

Omnes versus, quod ad rhythmum pertinet, ad pauca exemplaria redigi possunt.

Primum eorum est qui in hemistichia caeduntur maxima caesura :

L'âme du genre humain | songeait à s'en aller,

secundum eorum qui in hemistichia caesi maiorem tamen caesuram continent :

Tremblante, || elle hésitait | sous la voûte profonde.

Hae duo sunt classica exemplaria ; romantica sunt quae sequuntur.

Scilicet tertium eorum qui paene obsoleta hemistichii caesura inaequales in partes caeduntur, sive maior pars praecedat caesuram, sive sequatur :

Et voilà qu'au penchant | des mers, || sur les collines...
Le vent jouait || avec | cette gerbe d'éclairs.

Quartum eorum qui solam hemistichii caesuram habent, sed tenuem.

Le granit remplaça la tente aux murs de toile...

Quintum eorum qui in tres aequales partes caeduntur, ubi paene nulla est caesura hemistichii.

Où rien ne tremble, | où rien ne pleure, | où rien ne souffre...
Sachez ceci, | tyrans de l'homme | et de l'Erèbe...

Primum animadvertamus haec quinque exemplaria ad tria redigi posse. Primum enim et secundum unum sunt, quia hemistichium habent; nam si caesura versus est, aliae caesuræ hemistichii sunt quamvis longae sint sensus intermissiones. Quintum omittimus utpote qui caesuram versus tollat. Restant tria exemplaria et quod in hemistichia caeditur, et quod in partes non aequales levissima hemistichii caesura, et quod nullam nihil tenuissimam hemistichii caesuram habet.

Facile probabimus in his tribus hemistichii caesuram omnis rhythmi fontem esse.

Verum enim est hanc quae duas sex syllabarum partes disponit sub aliis caesuris quasi translucere. Quod versus pingendi vim habeat et rerum species auribus repraesentet, hinc oritur : primum habes in animo versus quasi imaginem in aequales duas partes divisam ; super hanc imaginem sententia sese applicat, brevior versu aut longior, quod efficit periodi rhythmum, brevior hemistichio haut longior, quod efficit versus rhythmum ; nam quom cadit ante hemistichium, depingit quasi casum, quasi aliquid rapidi, vel subito stantis ; quom cadit post hemistichium, sensus se porrigere et extendere videtur, depingitque vel otium vel tranquillitatem animi, vel minas vel res varias

huiusmodi. Quod si hemistichii caesuram tolles, nullus effectus, nulla iam pictura. Finge ad hoc consonantes extremorum versuum syllabas tolli, nullus iam versus. Nam si habes

$$\begin{array}{c} 3+5+4 \\ 5+4+3 \\ 2+5+5 \end{array}$$

habebis si voles $3+5+4+5+4+3+2+5+5$, scilicet nullum versum ; sed quosdam articulos, quaedam membra nullum corpus efficientia. Contra ea, quamvis consonantes tollas, si servatur mediana caesura, perstant versus, scilicet corpora inter se discreta, scilicet certae articulorum compagines in caesura hemistichii libratae ; nam dum habes $3+5+4$, $5+4+3$, habes interea $6+6$, hoc modo

$$\begin{array}{ll} 3+(3+2)+4 & =6+6 \\ 5+(1+3)+3 & =6+6 \\ 2+(4+1)+5 & =6+6 \end{array}$$

Sit pro exemplo unus versus :

Ruth songeait || et Boos | dormait ; || l'herbe était noire,

quem si nullo hemistichii respectu scando $3+5+4$

Ruth songeait || et Boos dormait ; || l'herbe était noire,

nullus erit versus ; nam cum desit syllaba quae cum *noire* consonet, versum cur terminabo post *noire ?* quem contra si libebit continuabo, dummodo syllabas suppedites, hoc modo :

Boos dormait ; | l'herbe était noire ; | les grelots
Des troupeaux | palpitaient vaguement ; | une immense...

Immo in versuum decem conclusione nusquam versum bene definitum adspiciam, sed vagum rhythmum prosae numerosae similem ; adde versum unum non iam versum esse, sublatis consonantibus. Contra si scandis 5 + (3 + 2) + 4

Ruth songeait || et Boos | dormait ; || l'herbe était noire,

habes versum in caesura hemistichii libratum, discordantemque sensus intermissionem cum caesura, unde tranquillitas hinc meditantis feminae, hinc viri dormientis optime depingitur sensu caesuram molliter excedente.

Hunc versum nunc consideremus :

4 + (2+6)
La pierre ôtée, || on vit | le dedans de la tombe,

sensus ante hemistichium cadens depingit sepulchri ianuam subito patentem ; reliquus autem versus longiori parte quae secundo hemistichio prioris partem addit, sepulchrum ipsum ita aperit ut quasi tenebrae mortis reserentur. Sublato hemistichio perit vis omnis pingendi.

Item in hoc :

Et l'on voyait sa face | effroyable || apparaître,

significatur versus modulatione horrendum aliquid quod sensim oculis apparet, quia prius hemistichium verbo *effroyable* continuatur, itaque longus videtur ; alioquin sensus non longus videri posset qui sex aut septem verbis constet.

In horum versuum secundo :

Il se trouva, lui, spectre, âme, roi sans royaume,
Nu, face à face || avec | l'immensité fantôme,

stupor optime significatur, quia suspenditur sensus ante hemistichium : scandes igitur

(1 + 3) + (2 + 6)
non 1 + 3 + 8

Item in hoc :

Au moment où le housard baissé
Se penchait vers lui, || l'homme, | une espèce de more,

et in aliis romanticis versibus.

Et e contrario cum in romantica periodo versus in hemistichia maxima pausa caeditur, significatur aequalitas, ordo, tranquillitas, et eo magis quod versibus inaequaliter libratis miscetur libratus aequaliter.

Quare cum versus (excepto tamen illo qui in tres aequas partes caeditur) ita scandi debebit ut pausam hemistichii non subodoreris, pessimus erit ; faterique non dubitamus multos huiusmodi pessimos in poetis exstare, quum Hugo ipse tales admittat :

Le flot qui murmure, est-ce une voix qui résonne ?
Au commencement, Dieu vit un jour dans l'espace (1).

Fontem et principium rhythmi hemistichium esse probat hoc quod saepe poeta dum hemistichium rapidus praeterit, quasi versus nusquam caedatur, vim aut longinquitatem aut festinationem aut properationem aut pertinaciam significat. Quod significat per oppositionem ; nam nisi opponerentur hinc pausa hemisti-

(1) Melior huius modi versus quum fortis accentus in sexta restituit hemistichium :

Au commencement, || *Dieu* | vit un jour dans l'espace...
Frappe et console, || *va* | du zénith au nadir.

chui quam paene praeteris, illinc versus rapidi tenor, quem quasi sine pausa enuntiaris, nihil significaretur. Sint pro exemplo tales versus :

Les enfants le voulaient saisir dans un lacet.
Un étourdissement de sève et de croissance.
Le granit remplaça la tente aux murs de toile (1).

In summa quas diversas significationes habeat pausa sensus cum hemistichio discordans aut concordans, sic fere resumas :

1° Versus in hemistichia caesus aut nihil significat nisi numerum (nam omnibus versibus non pictura inest) aut aequalitatem, tranquillitatem, ponderationem, otium significat.

2° Pausa sensus quae ante hemistichium aut post hemistichium cadit, si nulla inest pictura, significat rhythmum minus libratum et aequalem, ideoque familiarem musam, pedestremque, unde variatur aequalioris rhythmi taedium. Quod si pingere cupit poeta, versus que ante hemistichium caesus suspenditur, significatur stupor, timor, res subita ; longiori parte significatur vis, contentio, aut spectaculum oculis oblatum. Si pausa sensus post hemistichium cadit, similia similibus, vicibus versis, significantur.

Sequuntur periodi, prima submissi sensus, secunda temperati, aliae grandis, ubi facile agnosces quomodo

(1) Et hic nitamur in optimo auctore quem iam citavimus, E. Faguet ; cuius in libro supra dicto haec invenio : « La plupart de ces nouveautés lui sont inspirées (à Victor Hugo) par le sentiment, très juste, qu'il a, que le vers français est trop court pour certains effets, et que l'irrégularité de la coupe l'allonge... » et citat inter alios hunc versum :

Voit dans la transparence | obscure || du sommeil,

qui optime per caesuram depictas res significat.

mediana caesura rhythmum hinc familiarem, illinc elatum efficiat.

Je vais volontiers seul, || je médite ou j'écoute.
Pourtant || si quelqu'un veut | m'accompagner en route,
J'accepte; || chacun a | quelque chose en l'esprit...
Et tout homme est un livre || où Dieu lui-même écrit.
J'y lis. || — Chaque soir donc || je m'en vais, | j'ai congé,
Je sors, || j'entre en passant | chez des amis que j'ai ;
On prend le frais || au fond | du jardin, || en famille.
Le serein || mouille un peu | les bancs || sous la charmille.
N'importe ; | je m'assieds || et je ne sais pourquoi
Tous les petits enfants || viennent autour de moi...
C'est qu'ils savent que j'ai | leurs goûts, || ils se souvien-
Ils disent, doux amis, || que je ne sais jamais [nent...
Me fâcher ; || qu'on s'amuse | avec moi || ; que je fais
Des choses en carton, || des dessins à la plume,
Que je raconte, || à l'heure | où la lampe s'allume,
Oh ! des contes charmants || qui vous font peur la nuit.

(Hugo, *Contemplations*, I, 6.)

6 + 6
(2 + 4) + (6)
3 + 3 + 6
6 + 6
2 + 4 + 3 + 3
2 + 4 + 6
4 + (2 + 3) + 3
3 + (3 + 2) + 4
3 + 3 + 6
6 + 6
(6 + 2) + 4
6 + 6
3 + (3 + 3) + 3
6 + 6
4 + (2 + 2)
6 + 6

Je fis souffler un vent | révolutionnaire.
Je mis un bonnet rouge | au vieux dictionnaire.

Plus de mot sénateur ! | plus de mot roturier !
Je fis une tempête | au fond de l'encrier,
Et je mêlai, || parmi | les ombres débordées,
Au peuple noir des mots | l'essaim blanc des idées ;
Et je dis : « Pas de mot | où l'idée au vol pur
Ne puisse se poser | toute humide d'azur ! »
Discours affreux ! — || Syllepse, | hypallage, litote
Frémirent ; || je montai | sur la borne Aristote,
Et déclarai les mots | libres, || égaux, majeurs...
Et tout quatre-vingt-treize | éclata. || Sur leur axe
On vit trembler l'athos, || l'ithos et le pathos.
J'ai dit aux mots : || « Soyez | république ! || soyez
La fourmilière immense, || et travaillez ! Croyez,
Aimez, vivez ! » || J'ai mis | tout en branle, || et, morose,
J'ai jeté le vers noble | aux chiens noirs de la prose.

(Hugo, *Contemplations*, I, 7.)

1,2,3,4.	6 + 6
5.	4 + (2 + 6)
6,7,8.	6 + 6
9.	4 + (2 + 6)
10.	3 + (3 + 6)
11.	6 + 6
12.	(6 + 3) + 3
13.	6 + 6
14.	4 + (2 + 4) + 2
15.	6 + 6
16.	4 + (2 + 3) + 3
17.	6 + 6

La poésie, au front | triple, || qui rit, soupire
Et chante, raille et croit, || que Plaute et que Shakspeare
Semaient, l'un sur la plèbe, || et l'autre sur le snob,
Qui verse aux nations | la sagesse de Job...
La Muse reparaît, || nous reprend, nous ramène,
Se remet à pleurer | sur la misère humaine,
Frappe et console, || va | du zénith au nadir,
Et fait sur tous les fronts | reluire et resplendir
Son vol, tourbillon, lyre, || ouragan d'étincelles,
Et ses millions d'yeux | sur ses millions d'ailes.

(Hugo, *Ibid.*)

1.	(6 + 2) + 4
2,3,4,5,6	6 + 6
7.	5 + (1 + 6)
8,9,10.	6 + 6

Dieu seul est grand ! || c'est là | le psau || me du brin d'herbe ;
Dieu seul est vrai ! || c'est là | l'hymne du flot superbe ;
Dieu seul est bon ! || c'est là | le murmure des vents ;
Ah ! ne vous faites pas | d'illusions, || vivants !
Et d'où sortez-vous donc, || pour croire que vous êtes
Meilleurs que Dieu, || qui met | les as || tres sur vos têtes,
Et qui vous éblouit, || à l'heure du réveil,
De ce prodigieux | sourire, || le soleil ?

4 + (2 + 2) + 4
4 + (2 + 6)
4 + (2 + 6)
(6 + 4) + 2
6 + 6
4 + (2 + 2) + 4
6 + 6
(6 + 3) + 3.

XII.

DE GALLICA PERIODO.

Ut in graeca latinaque, sic et in gallica poesi primus periodi numerus est versum cum sensu terminari, secundus discordare.

Discordant versus sensusque quotiens sensus non terminatur cum versu, minorque est versu finito pausa quam pausa quae versum sequentem caedit.

Est periodus in classicis; nam saepe pausa hemistichii vel maior quam versus finientis, vel articuli maior quam hemistichii. Semper tamen aliqua est versus finientis pausa in classicis; in recentioribus contra saepe nulla nisi quod consonantia versum finiunt. Unde vides subtilioris esse periodum artis in Racinio, quae pausas versus finientis abrogare non potuerit. Quod si saepius in classicis deest periodus, versusque bini fastidiose procedunt, non ars sed artifex defuit. Haec enim periodus absolutissima tibi videbitur, quanquam hemistichia separantur et versus :

Hippolyte lui seul, || digne fils d'un héros ||
Arrête ses coursiers, || saisit ses javelots, |
Pousse au monstre, || et d'un dard lancé d'une main sûre, |
Il lui fait dans le flanc | une large blessure. ||
De rage et de douleur | le monstre bondissant |
Vient aux pieds des chevaux | tomber en mugissant, ||
Il roule, || et leur présente | une gueule enflammée |
Qui les couvre de feu, || de sang || et de fumée.

Haec autem periodus quam scripsit *André Chénier* classica concitatior, classica tamen ipsa quod ad versus spectat, nam plerumque pausa in hemistichio est et in finienti versu ; quae discordant cum sensus maioribus iisdemque frequentioribus pausis ; poeta latinam graecamque periodum imitatur, et ad sequentem versum unum aut duo verba reicit.

Le quadrupède Hélops fuit ; || l'agile Crantor |
Le bras levé | l'atteint. || Eurynome l'arrête ; ||
D'un érable noueux il va fendre sa tête : ||
Lorsque le fils d'Egée, | invincible, | sanglant, |
L'aperçoit, || à l'autel prend un chêne brûlant, ||
Sur sa croupe indomptée, | avec un cri terrible, |
S'élance, || va saisir sa chevelure horrible,
L'entraîne, || et quand sa bouche, || ouverte avec effort, |
Crie, || il y plonge ensemble et la flamme et la mort.

Contra in hac periodo :

Tous les monstres sculptés sur l'édifice épars
Grondent, || et les lions de pierre des remparts
Mordent la brume, | l'air et l'onde, || et les tarasques
Battent de l'aile | au souffle horri | ble des bourrasques,

discordat sensus cum caesura hemistichii ; versus antiquior libertatem hexametri imitatur ; terminatio versus minus apparet ; periodus adstrictior. Item in hac eiusdem poetae minus hemistichium apparet :

Le duel reprend, || la mort | plane, || le sang ruisselle;
Durandal heurte et suit | Closamond ; || l'étincelle
Jaillit de toutes parts sous leurs coups répétés.

In his duobus exemplis ars gallica non latina inferior; periodus nostra non minus numerosa subtilis, implexa quam romana periodus.

Haud immerito subtilissimus auctor *Em. Faguet*

versum versu continuatum hic miratur, ubi rhythmus crepitum ingentem depingit, et ruinam ruina continuatam.

On entendait le bruit des décharges, || semblable
A des écroulements | énormes || (1).

Sed nobis non in animo est omnia ea mirari quae sint in Hugo huius generis miranda. Sufficit metricam periodum definitam esse. Notemus tamen cum eodem auctore accidere ut poeta optime metricam periodum omittat, versibusque singulis cadentibus in lyricis carminibus aptissime utatur. Aeque enim miraberis et has strophas in quibus nulla periodus inest :

Vous savez bien que l'âme affronte
Ce noir degré,
Et que, si haut qu'il faut qu'on monte,
J'y monterai !..

Vous, laissez passer la foudre et la brume,
Les vents et les cris,
Affrontez l'orage, affrontez l'écume,
Rochers et proscrits!

C'était une humble église au cintre surbaissé,
L'église où nous entrâmes,
Où depuis trois cents ans avaient déjà passé
Et pleuré bien des âmes...

et hos versus in quibus cum arte quadam, qua nulla superior, periodum concludendi depingit (2) imitaturque, ut musicus, caesuris et vocabulorum sonoritatibus,

(1) Emile Faguet, *op. cit.*, p. 243.
Nota optimum ad pingendum hoc vocabulum *énormes*, quia medianam caesuram praeterit ; quod confirmat ea quae de caesura diximus.

(2) Cf. Em. Faguet, *op. cit.*, p. 247.

murmur quoddam, primo confusius auditum, mox clarius, quod deinde paulatim recedit, denique exspirat :

. . . .

La mélodie | encor quelques instants | se traîne
Sous les arbres bleuis par la lune sereine, |
Puis tremble, || puis expire ; || et la voix qui chantait
S'éteint | comme un oiseau se pose, || tout se tait.

XIII.

QUAE FUERINT ALEXANDRINI VERSUS MUTATIONES.

Saepius in hoc opusculo haec verba usurpavimus : historia vel processus alexandrini versus. Quibus quoad uti liceat explanare utile est. Gradus enim quosdam per quos processerit versus noster facile notabis, difficilius per quos graecus latinusve hexameter. Apud Homerum enim hexametros cuiusvis caesurae, cuiusvis numeri, sive post tertium trochaeum, sive in medio tertii pedis una caesura occurrat, sive trímetrum faciant duae caesurae penthemimeris et hephthemimeris, invenies, quamvis affirmare possimus trimetrum bipartito versu fuisse posteriorem. Non ita de gallico versu, cuius infantia nobis magis nota est quam antiqui.

Quod attinet ad caesuram, alexandrinus usque ad nostra tempora in hemistichia fuit caesus. Unus fere versus est in medii aevi poematibus in quo, more romanticorum, discordet caesura hemistichii cum maiore sensus intermissione :

La duchesse était suer | Bertain ; || quand j'esgardai...

(*Berthe aux Grands Pieds*, vers. cc, ex editione Aug. Scheler, Bruxelles, 1874.)

Huic versu similis ne unus quidem in Racinio. Hic notabimus non agi de his versibus ubi sensus maior

intermissio non tollit hemistichii caesuram, nam fere non prius inventus est alexandrinus quam tales versus. Quom enim legimus in Racinio hunc versum :

Ma fille !... ‖ En achevant | ces mots épouvantables,

caedimus in hemistichia, quamvis maior sensus pausa occurrat post haec verba : *Ma fille*. In illo autem quem citavimus :

La duchesse était suer Bertain; quand j'esgardai,

nulla est pausa ubi vox vel minimum adquiescat (1). Cuius similis, ut dixi, nullus in Racinio, quamvis Becq de Fouquières in illius poematibus circiter quinquaginta versus inveniat qui possint romantico more caedi, 3 + 5 + 4, 4 + 5 + 3 (has enim scansiones romanticas credit). Sed horum versuum nullus est qui in hemistichia nequeat caedi. Hic enim :

Quelquefois elle appelle Oreste à son secours,

quanquam non potest sic scandi :

Quelquefois elle appelle ‖ Oreste à son secours,

hoc modo scandetur :

Quelquefois elle appelle | Oreste ‖ à son secours.

Unde non sequitur ut scandatur 3 + 5 + 4, nam caesura hemistichii perstat, quamvis tenuissima discordet cum aliis sensus intermissionibus. Mediocres

(1) Hunc invenimus in Jacot de Forest, *Le roman de Jules César* (Bibl. nat., fs. fr. 1457, f° 99) :

Qui mout, quant il (l') oï conter, li anuioit.

tamen sine dubio suis temporibus tales versus fuerunt, nam caesurae discordantes nondum probatae non sine usu et longo tempore invaluerunt. Contra ea si illi auctori credamus quem hic impugnamus, decreverunt ex integro romantici poetae caesuras cum sensu discordare, immo caesuras ubivis locari. Quae opinio a communi sensu me quidem judice plane abhorret. Hoc verum est : sensus caesuram praeterit, quam tamen aures sentiunt et notant ; variatur hoc modo versus licentia prius tolerata, deinde in voluptatem usurpata.

Ne unum quidem igitur romanticum versum in Racinio invenias, ex illis dico falso romanticis quos instituit Becq de Fouquières. Vere romanticos quosdam invenias ex illis qui in tres partes aequas caeduntur. Trimetrus enim alexandrinus in Racinio occurrit, sicut tripartitus hexameter in Homero. Nam ut versu ita caeso 3 + 5 + 4 aures decipiuntur, ita a trimetro 4 + 4 + 4 non abhorrent, dummodo caesura quamvis levissima in duas partes quattuor medias syllabas dividat : 4 + (2 + 2) + 4. Immo brevi tempore nulli medianae caesurae assuescunt : 4 + 4 + 4, quia in hoc numero simplicissimo aures facillime medium versum ita sentiunt, ut numerum plenum agnoscentes requiescant.

Quid trimetrus esset, cur auribus non displiceret, Racinius et eius aequales ignorabant, sed trimetrus non displicebat. Ignorabat et Homerus, in quo fere nullus trimetrus est qui trochaïcam non servaverit. Fere nullus et in Virgilio qui raro (unum inter sexcentos) versus huic similes scribit :

Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes...

Trimetrorum quos in Racinio invenias sunt falsi, sunt veri. Falsos enim huic similes :

Ouvrez vos yeux, || songez | qu'Oreste || est devant vous.

facile ad bipartitum numerum rediges ; veri sunt huius modi :

Toujours punir, | toujours trembler | dans vos projets ;

sed Racinius sic illum scanderet :

Toujours punir, toujours | trembler dans vos projets.

non obstante sensus intermissione post *punir* quin caesura hemistichium notaret.

Haec ad caesurae historiam, nam apud romanticos quae fuerit satis disseruimus.

Quod ad artem, sic processit alexandrinus : habemus primum epicos versus per quosdam fasciculos dispositos, in unum consonantes. In hemistichio muta non numeratur ; unde hemistichii clausula nimis similis versus clausulae, si utraque feminina. Ad hoc hiatus adhibetur : unde mollis adhuc nec satis pressus numerus. Nulla periodus, singulis cadentibus ; singuli quoque canebantur, ut aequum est suspicari ; pausa post singulos et in concentu fidium. Eo magis singuli cadunt quod una omnibus consonantia est.

Mox arte iam maiore in consuetudinem vertit quod antiquitus occurrit, binos consonare ; muta non numeratur in hemistichio. *Johannes Lemaire* et *Clemens Marot* suspendunt hemistichium in sonora ; magis magisque premitur versus et in unum coit, paene absolutus in Ronsardio qui raro patitur hiatus.

Idem Ronsardius antiquam periodum conatur imitari non feliciter, qui communiter reiciat hemistichium vitiose quidem, nam confunduntur versus, et hic finire creditur qui dimidius est. Saepius et reicit unum aut duo verba, ut pausa nulla fieri possit post versum terminatum :

Portant le van mystiq sur une lance pleine
De pampre, et publiait d'une tremblante voix
De son jeune enfançon les festes et les lois...
(*Hymnes*, II, VIII.)

unde syllaba consonans dissimulatur, voxque reiecta efficit prosam. Non intellegit enim poeta latinam periodum et gallicam differre. Quippe in latina finis versus, qui dactylo et spondeo constat, non dissimulatur etiamsi nulla pausa sequenti versu iungatur. In gallica vero syllaba consonans facile dissimulatur, nisi levis pausa intercidat. Imitarunt Ronsardium nonnulli ex aequalibus ; hi enim Jodellii versus ut partim vituperandi, quia reicit hemistichium, ita laudandi sunt ob caesuras discordantes ; praecipue tertius et octavus.

Bien qu'une douce amorce
Desrobe bien souvent au jeune cœur sa force,
3. Si m'aveuglé-je au bien | que j'avais || et au trouble
D'une amante insensée. || Il faut que l'on redouble
L'âme pour vaincre un deuil. || Donc cette Afrique douce
En la laissant nous charme || Où le destin nous pousse
Suivon, suivon toujours. || Toute troupe est sujette
8. Au travail : || le travail | enduré || nous rachette
Un glorieux trépas.

Iure igitur optimo Malherbius vetat ne versus in versum incurrat iure et hiatum proscribit, itaque classicum versum informavit vere pressum, unum et solidum. Ut periodus autem efficiatur, versusque non singuli cadant aut bini, opus est arte subtilissimi poetae ; nam Malherbius nimia severitate vetat ne poetae versum versu continuent, quod non vitiosum erit si ita intra versus vox quiescit ut consonantia non dissimulentur, si versus posterior non post sextam caeditur. Malherbium haec fefellerunt, ideo ex Ronsardii numeris perierunt et mala et bona, posterioresque poetae iidem-

que maximi non versu imperaverunt, sed servierunt, in quibus non materies trahit formam, sed forma materiem captivam tenet. Is enim versus quem Malherbius constituit, quasi lapidarius, formulae favet et sententiis. Hoc valet, hoc peccat Bolaeus, quod in uno quoque versu sententiam includit, optime quidem si tantum ad versum spectas, ineleganter si ad periodum. Iis Cornelii versibus nihil pulchrius, quibus abundat poema cui titulus inscribitur : « Excuse à Ariste » ; feriuntur enim in aere quasi in moneta imago.

> Je sais ce que je vaux et crois ce qu'on m'en dit...
> Pour me faire admirer je ne fais point de ligue...
> Par d'illustres avis je n'éblouis personne...

Quod poema tamen continuo lectum non feras, nisi subtilissimus lector in periodos reducat hos versus qui singuli splendent sonantque. Magis igitur mirandi sunt classici poetae si quando periodum trahunt, quia spiritu solo trahunt.

Haec usque ad nostrum saeculum ; nam *Chenerius* non nisi nostro saeculo editus est. Felicior Ronsardio Chenerius in struendo periodo qui magis Graecorum versificationem intellexerit. Ceterum magis periodum quam versum mutavit, nam in versu pausa hemistichii raro non servatur, quanquam saepe discordat cum pausa maiore. Attamen et romanticos scribit versus :

> Si bien qu'au même instant cloches, petite et grande,
> *Sont prê* || *tes, et chacune* | *attend,* || *et ne demande*
> Qu'à sonner quelque mort...

Idem optime scripsit iambos discordantes. In iis enim quae Barberius noster tam ferociter decantavit, inspiratio est quae efficit periodum ardentem et longi spi-

ritus ; versus autem quaterni cadunt : quae classica est periodus. Chenerius contra periodum ita struit ut sensus in stropha non contineatur, sed exundet libereque manet, et stet cum stropha discordans. Accidit etiam ut primum strophae versum sensus praecedenti strophae continuet ; ceteraque eiusdem generis.

Denique versum nostrum Hugo perfecit, nec ulla est rhythmi subtilitas, nihil numeri exquisiti quod ille non invenerit, novus in hoc tantum quod caesura hemistichii, nunquam tamen ad nihilum redacta, semper et ex professo cum variatissimis caesuris discordet, quasi ille versum et varium et unum tamen voluerit, subtilior in hoc metricus quam multi deinde.

Nihil post eum novi nec fuit nec erit unquam, nisi forte in *alexandrino* tripartito hemistichii legem transgredi licebit, ut in hoc :

Et nous allons appareiller pour les étoiles,

parce tamen, et modo tales versus aliis justae caesurae permixti periodum varient non impleant.

Iam finis adest opusculi in quo de rhythmi principio, origine et fonte, in gallicis versibus, disseruimus ; diversasque minoris versus leges et maioris illius qui alexandrinus dicitur, excussimus. Cuius maioris et processus ; deinde in illo quae sit caesurae vis, quae quamvis mutato versu persteterit tamen usque in nostra tempora ; quomodo bipartitus ob origine fuerit et manserit, quamvis et tripartitus in nostro saeculo, numerus ; quomodo differant inter se caesurae et pausae, quae sint hemistichii, quae versus, quae pe-

riodi caesurae ; quibus modis inter se discordent aut concordent versus et sensus, sensus et caesurae. Immo, quod operae pretium erat, paucis in transitu probavimus hunc magnum versum non modo nostrorum, sed et veterum esse, nec aliter Latinos aliter Gallos numerare, quamvis hi syllabas, illi tempora ; apud utrosque in magno versu duodecim tempora ; utrisque primum numerum fuisse quum concordarent sensus et caesura, secundum quum discordarent. Utrinque, ne plura dicam, versum sensim fuisse informatum vere numerosum, implexi et varii rhythmi, qui sibi ipsi et magnis operibus sufficiat, ceterasque rhythmi formas tantum superet quantum rhythmus ipse superat prosam.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. V Kal. dec. ann. MDCCCXCVI,

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur.
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,
GRÉARD.

PICTAVII, TYPIS OUDIN ET SOC.